



BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
36
F
2

GVILLELMI ADER
MEDICI,
ENARRATIONES,
DE ÆGROTIS, ET MORBIS
in Euangelio.

OPVS

IN MIRACVLORVM CHRISTI Domini amplitudinem Ecclesiæ Christianæ elimatum.

Operis partes indicabit sequens pagella.





TOLOSÆ,
Apud Dominicum, & Petrum Bosc.

M. DC. XX.

TRES TOTIVS OPERIS partes.

IN prima enarrantur Aegroti, quorum dum explicantur morbi, eorum patria, temperies, ætas & vitæ conditio inquiritur: hosque arte Medica incurabiles fuisse demonstratur.

In secunda proponuntur Medica principia ad propositorum morborum cognitionem necessaria, cum acurata Syriæ & locorum Terræ sanctæ topographia.

In tertia Morborum, quibus Aegroti propositi detinebantur, datur cognitio, prædictio, & vniuersalis eorum curatio.

In fine operis continetur Oratio habita Tolosæ, antequam has Enarrationes publicè diceret. Cum indice omnium partium copioso.

ILLVSTRISSIMO REVERENDISSIMOque viro Bernardo Daffis Episcopo Lumbariensi.

GVILLELMVS ADER Medicus. S.



HRISTO Redemptori deuotum opus ad te dessero (REVERENDISSIME ANTISTES) nouum sanè ædificium in antiquo Ecclesiæ solo. Antiquum etenim & nihil antiquius ægrotos magno numero sanasse Dominum: Eos autem arte Medica incurabi-

les omnino fuisse, adhuc à nemine demonstratum. Miraculum quidem & vbique magnum vel in leuiter ægroto dicere, *Surge, tolle grabatum & ambula.* Admirabilius tamen in desperato, & ab omni spe remedij retro collapso. Christo ergo Omnipotenti, cuius solius est verè θαυματουργεῖν elimatum est opusculum, quod curatos ab eo incurabiles ab arte clarè demonstrat. Sit ad excellentiam Miraculi hæc fidelis Coticula. Ad aram redemptionis nostræ eminùs micet ista lucernula, illámque tu Præsul Illustrissime, virtutis & nominis splendore quo coruscas, inflamma, & agita spiritu pietatis, quo æternùm inclarescat. Clara etenim tu nobis

Deûm ſoboles, magnum Daffinæ proſapiæ tota Gallia nobiliſſimæ & auguſtiſſimæ incrementum, ſapientiſſimi totóque regno ſpectatiſſimi Protopræſidis Patris tui ſymbolum, vigilantiſſimi Antiſtitis Lumbarienſis Patrui tibi præeuntis, mihi vehementer cordatiſſimi, charagma, æquiſſimi Præſidis fratris tui animæ dimidium. Qui demum totus es in Eccleſiæ nominíſque Chriſtiani præſtantiam, pietati infixus, iuſtitiæ & cultui deditiſſimus, foue hanc ſcintillulam quæ de petra Chriſti in qua tu ſedes excutitur: moue hos igniculos Apollineo fomite è Chriſtiano ſilice accenſos. Ita tibi proſpera ſummáque ſit omnipotentis Chriſti D. remu-

neratio, vita nempe Nestoreis producta annis. Viue diu, viue felix, Lumbariensis deuotissimæ Ecclesiæ nostræ princeps, decus & ornamentum: Viue diu, viue felix, terrificum vitiorum fulmen, magnificum pietatis, virtutísque flumen & culmen. Méque assiduum tui cultorem, atque admiratorem ama vt soles, & vt ego veneror.





PRÆFATIO.

IN QVA TOTIVS OPERIS RATIO PROponitur.

Ad Christianum humanissimum lectorem.



VANQVAM in omnibus ægrotis à Christo Domino curatis ratio miraculi sit illustris, dum extra naturæ genium & Medici ingenium, suauissimo solo verbo, lenissimo tactu suo cuiuslibet generis ægritudines curat Dominus: sitque tam graue miraculum, ea forma, sanabiles affectus quàm insanabiles delere: liberum tamen vnicuique, piéque concessum inquirere, num præfati ægroti, qui à Christo Domino miraculosè curati sunt, potuissent arte curari: vt si qui reperiantur à Natura & Medicis incurabiles, illustrior & celebrior succe-

dat miraculi altitudo & immensitas. Magnæ quidem sunt cerebri & totius corporis affectiones miraculo curatæ in ægrotis toto nouo Testamento propositis: nihilominus omissa dæmonum vi, quam solus potest frenare Deus, nullam intemperiem, nullum instrumentalem morbum ibi reperies, quem appositis naturæ remedijs, seruatis ab artifice legibus artis, in multis alijs ægrotis sæpe non exsibilarint docti & experti Medici. Lepra etenim in exortu non confirmata, epilepsia, melancholia, mania, conuulsio, cæcitas, surditas, atrophia, hydropsque omnis, affectus curabiles sunt: & leprosos, epilepticos, maniacos, conuulsos, hydropicósque plures, surdos item & cæcos non paucos curant passim Hippocrates & Galenus, curarunt & Medici horum sequaces. Quid ergo in similibus toto nouo Testamento propositis, non potuerint Iudeæ Galileæque Medici, ijsdem imbuti præceptis & arte? Nõ ne Chaldæorum illa terra est, remediorum omnium feracissima, artium varietate ingeniosissima, artificum diligentia illustris? Verum quidem: nec ita hebetes tardi

& inscientes Medici Palestinæ habendi, quin similes quosdam morbos sepiuscule curauerint. Vna tamen iniqua sæpe Medicis, præceps & instantanea medendi Occasio sola sufficiet ad demonstrandum, nominatos omnes quos reperiò in testamento ægrotos, incurabiles ab arte & eorum Medicorum sagaci industria, extitisse, diuináque manu omnipotentis ad sanationem hos omnes ægrotos indiguisse. Occasio enim præceps & momentanea, ὁ δὲ καιρὸς ὀξὺς *diuinus ait Hippocrates. Vt enim in omnibus rebus humanis, ita & in medendi arte præsidet vrgens & anceps agendi ratio, nec licet Medico sine Occasione mederi, in cuius satellitio reperies & tempus, & ætatem, & regionem, aliásque similes conditiones, quas si non obseruet Medicus, in cassum ludit oleum & operam. In Occasionis comitatu adest etiam ægri conditio, & natura admodum diuersa, varij mores, & humores, quæque vnius palato sapiunt, alteri sunt ingrata & iniucunda. Hic Medico obsequens est, ille morosè reluctatur, isto in aëre & hac in ætate curabis affe-*

ctum, quem fouet alius aër, habet ad mortem comitem alia ætas. Immedicabiles deinde morbi ſuapte contingunt, aduersùs quos ne hilum quidem remedia proficerent. Inuadunt alij contumaces qui ſemel in habitum verſi nunquam pedem referunt, cùm habitum prorſus mutatum immutare ſola potuerit Medæa non Medicus. Ita ergo de ægrotis & morbis in Euangelio campus diſſerendi patet ampliſſimus, in quo copioſa ſeges demonſtrationum cum ſplendore ridet & luxuriat, ad hos affectus incurabiles firmiſſimè demonſtrandos. Hos enim ſolùm reputare incurabiles, quia Chriſtus Deus & Omnipotens curauerit, anile eſt: Miraculum etenim vel in Acaro verbis euulſo reperiretur. Rationibus ergo cùm Phyſicis tum Medicis decertandum. Maria aſpera iuro me nullum pro me tantum cepiſſe laborem. Iubet enim artis noſtræ ſummus Dictator Hippocrates videre, tangere, & audire: imò viſu, tactu, auditu, naribus, lingua, & intelligentia ſentire, vt circa ægrotum ſimilia & diſſimilia decernantur. Quæ certè omnia his in abſentibus ægrotis

adesse mihi nequeunt. Qua ergo arte quæ tuta certáque sit incedendum dices, vt de ægrotis tam antiquis tam remotis & inuisis, vera resultet morbi cognitio & fida prognosis? Audi Galenum artificem maximum, qui sexcentis ferè post Hippocratem annis de ægrotis ab eo passim relatis iudicare decernit, tanta sanè coniectura, vt si præsentes adfuissent, res neque meliùs neque certiùs dignosci ac iudicari potuisset. In sententiam ergo diuini Authoris quæ sic in lib. epid. legitur. Aestate iam & Autumno lienteriæ, &c. Galenus ait. Variè admodum ægrotabant Thasii quod in diuersos incidissent morbos. Quare communem rationem, quæ ad id conducit quo non omnes qui in ea fuerunt tempestate ægrotarent, primo loco exponam, deinde ad singulos morbos descendam. Attendes omnibus in statibus ætatem & naturam cuiúsque hominis, vt sit ad statum appositus, mox genus vitæ applicabis, atque salubrem victus rationem vniuersam statui ipsi aduersariam. Ex qua Galeni sententia audire licet ipsum statui & constitutioni loci,

& temporis morbos velle conferre: ac de ipsis ægrotis ab ætate, victus ratione, vitæ genere & conditione, decernere ac iudicare. Ars certè subtilis & ardua, quæ Medici ingenium mirum in modum exercet & exacuit. Quis enim non videt in absentibus ægrotis artem dignoscendi & iudicandi morbos ferè inuersam, retróque commeantem. Præsente etenim ægroto dignoscendi & iudicandi regula prima, ab illius temperie & habitu desumitur: qua visa & diligenter mente attrectata, de morbo & eius euentu iudicare difficile non est, ex recto enim desumitur obliqui ratio: At in absentibus ægrotis arte inuersa, audito nempe à relatore morbo & accidentibus de temperie ægrotantium ex isto relatu deliberandum, vnde postea acri animi coniectura euentus morbi ariolandus est & ineunda morbi curatio. Quantò ergo facilius est à principijs ad artis scopum componere, tantò etiam difficilius à scopo ad principia resoluere.

Eia tamen per Appollinem, per Christum nempe Saluatorem nostrum, Panacæam Hy-

gæámque nostram Virginem matrem sacratissimam, si quid artis per triginta annos Medicinam discendo, docendo, faciendóque ingeniolo nostro comparatum est, grauissimo huic & religioso admòdum subiecto dedicemus. In magnis voluisse sat est & in arduis periculum facere generosum: quid enim nobis non suppetet docta & acuta Hippocratis ars? Morbos (ait) dignoscimus docti ex communi omnium natura, & cuiusque propria, ex morbo, ægro, oblatis, offerente: Præterea ex vniuerso & singulari cæli statu, ex singulis locis, ex consuetudine, victus ratione, vitæ genere, ætate cuiusque: Et cætera quæ deinceps singula adamussim docet Medicinæ heros. Ad cuius normam nos de ægrotis in nouo testamento & eorum morbis dicturi, illorum ætatem, temperiem, patriam, & vitæ conditionem, cùm ex diuino Euangelistarum contextu, tum ex Patrum Ecclesiæ commentarijs sedulò inuestigabimus, vt inde quo morbo quamque difficili laborauerint, ex loci, morbi, & ægrotorum natura, clarum fiat & aper-

tum. Adiungemus Christi Domini Itineraria à Religiosis doctisque viris quanta fieri potuit diligentia collecta: nec eorum, qui terram sanctam peragrarunt, aspernabimur diligentiam, & fidelem locorum in quibus celebrata fuere miracula, relationem. Ne autem forté lectores quibus Apollo noster ignotus est, aut remoretur morbi ignoratio, aut implicet rerum medicarum inexercitata cognitio: vtile visum est & expetitum à multis, Medicæ artis principia in secunda operis nostri parte proponere. Eosque tandem in tertia enarrare morbos, quibus præhensos iam dictos reperiemus ægrotos.

Ah terret me altissimi & diuini subiecti grauitas. Magna petis Phaëton & quæ non viribus istis, munera conueniunt. Eloquar ergo an sileam? Confirma me Domine Deus Israël & respice in hac hora ad opera manuum mearum.

ENARRATIONVM
primæ partis index.

ENARRATIONVM SECVNDAE partis Index.

ENARRATIONVM TERTIAE *partis Index.*

Errata Typographica.

Pag. 3. lig. vltima vbi hunc leprosum diuersum, leg. *hos leprosos diuersos*. p. 14. l. 1. leg. *βοηθὸν ἔχουσα τὴν ὑγίειαν*. p. 28. l. vltima leg. *adfert*. p. 40. l. 1. vbi curant leg. *curam*. l. 2. vbi essali leg. *assati*. p. 60. l. 1. vbi regalis leg *regulus*. p. 61. l. 3. deme *in* p. 69. l. 4. post gratiæ leg. *à nobis* p. 71. post τὰ adde *χεῖρα*. p. 107. vbi *ἀπονευρησέων* le. *ἀπουβλησέων*. p. 109. l. 6. leg. *ἐξηρασμένων*. p. 127. l. 10. leg. *ἄνθρωπος*. p. 129. l. 11. vbi pubis leg. *pubes* p. 130. l. 12. post inrerni adde *totidem externi*. p. 135. l. 2. vbi irrigis leg. *irriguis*. p. 186. vbi venare leg. *venari*. p. 188. p. 23. vbi aliæ leg. *alij*. p. 194. l. 16. vbi quintam leg. *quartam*. p. 230. l. 3. leg. *σημειωτικῇ*. Cætera beneuolus lector primo obtutu dignoscet.

SACRÆ THEOLOGIÆ PROfesſorum Approbatio.

NOs *in Academia Tolosana sacræ paginæ Professores Regij fidem facimus librum cui titulus est.* Enarrationes Medicæ de Ægrotis & morbis in Euangelio, *authore Guillelmo Ader Doctore Medico ea qua potuimus & debuimus diligentia perlegiſſe, multaque in eo obſeruaſſe quæ poſſint eſſe cum vtilitate coniuncta nedum eorum qui facultati Medicinæ operam nauant, ſed & eorum qui cæteras bonas artes & diſciplinas toto pectore perſequuntur. Nulla porrò in eo fuerunt deprahenſa, aut rectæ rationi, aut bonis moribus aut fidei orthodoxæ aduerſa. Quare poterit liber hic typis mandari, obtenta tamen licentia à legitimis ſuperioribus. Toloſæ Cal. Aug. anno* 1619.

F. I. PVTEANVS Auguſtinus.

De PELISSIER.

V*Iſo ſuperiorum Doctorũ iudicio prædictus liber cui titulus eſt.* Enarrationes Medicæ de Ægrotis & morbis in Euangelio, *authore Guillelmo Ader doctore Medico typis mandari ac venale exponi permittimus. Datum Toloſæ die* 7. *Auguſti* 1619.

I. RVDELE Vicarius generalis.

IN DOCTISSIMI MEDICI Guillelmi Ader opus, omnibus de verbo Dei orantibus perutile & necessarium.

EPIGRAMMA.

QVæ fuit in pingui granum cereale nouali
Spica effert grauidas vbere messe comas
Ardua quæ medijs primus caput inserit astris
Virga manu facili flexilis ante fuit.
Sic tua paulatim fœcunda germina mentis
Sidera sublimi vertice celsa tenent.
Nam Medicis Christi cælestia dogmata dictis
Iungere dum sacro captus amore paro,
Et doceas posco, quanta virtute ferocem
Sanarint Christi fortia verba lepram,
Cum tamen hinc nullam solers Medicina salutem
Spondeat aut docta subleuet arte malum.
Innumera amplexus docto miracula libro
Perfectum pleno munere mittis opus
Macte! Dei æterni merita qui nomen adornat
Laude sibi æternum nomen & ipse parat.

PETRVS de SVPPLI Tolosas, Iuris, & Theologiæ Doctor, Ecclesiæ Lumbariensis Canonicus.

ΤΩΝ ΙΑΤΡΩΝ ΕΝΔΟΞΟΤΑΤΩ κυρίῳ τῷ Ἀδηλείῳ ἔργον ἐπισημονέστατον καὶ σεμνότατον ἐκδόντι.

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ.

Μέσφα, τὸ ἀσθένεσι χριστὸς μῦθος ὤπας, ἀκεστὰς
Οὐκ οἷός τε φέρειν φὴς μάλα πολλὰ λέγων.
Μηδενὶ, πλασθέντας ἀποδείκνυς, τῶν πρὶν, ἐλέγχους
Ἴσως τ' ἰδμοσύνῃ εὐσεβίῃ τε ζυφᾶς.

IDEM LATINE.

A Medicis, vires, Chriſtus quos reddidit ægris
Multa docens reddi dum potuiſſe negas.
Argumenta moues nulli tentata priorum,
Nec minùs ingenio, quàm pietate nites.

Franciſcus Gauſianus Gimontanus, Subdiaconus, Iuris & Theologiæ Doctor.

IN DIVINVM SAPIENTISSIMI Medici & acutissimi Philos. Guillelmi Ader opus, de Ægrotis & morbis in Euangelio.

TETRASTIÇON.

ADer ades, quæ tanta tuæ par gloria laudi
Biblia qui Medicis sacra coïre iubes?
Te prior hoc ausus nemo est, nemo hercule Doctor.
Quippe sacris Medicis primus & Ader ades? I. S.

D. DOMINO SVO GVILLEL. d'Ader Patri, nec non Præceptori reuerendo, omníque obseruantiæ genere plurimùm colendo., hoc gratitudinis symbolum dicat consecrátque.

LAVRENTIVS ADER FILIVS.

Nauita qui placido subigens in flumine lēbum
Compositis dudùm remo ludebat in vndis
Pauperiem metuens, lucrique cupidine captus
Ingreditur pelagus, notáque audatior Vrsa
Totum æquor lustrat, qua latrat auara Charibdis
Quaque procellosæ circumtonat ora Malææ.
Sic tu care Pater primis Heliconidas annis

Fœlici complexus aue, vt quod Græcia vati
Mæonio debet, magno quod Roma Maroni
Debeat id fœcunda tuæ Vasconia Musæ:
Vasconij dum equitis Mauortia prælia tollis:
Et veneranda graui fundis præcepta Catone.
Castaliæ insueto sublatus in ardua cliuo
Post tenues versus & cætera ludrica ponens
Aequora in immensum sophiæ tua vela dedisti.
Vt quicquid natura abstruso viscere claudit,
Detegens claro solertis acumine mentis.
Inde Machaoniam amplexus fœliciter artem
E medijs populos pererrantes, faucibus Orci
Eripis, infernúmque iubes lugere Tyrannum
Fœlix atque iterum fœlix conscendere cœlum
Ausus & in superos mentem euexisse piorum
Cœlicolum cœtus, summi præconia Christi
Vt caneres. Nam quæ maior tibi Christe paratur
Gloria, quàm vires superantem & facta potentis
Naturæ perfecta ægros donare salute,
Quos nullis poterat Medicina iuuare medelis.
Ast ego quid tanto dignum præstabo Parenti
Non etenim virtutis amor monitore petendus
Externo. Hippocrates alijs doctíque Platones
Monstrentur: doctum satis est mihi discere Patrem
Tu genitor mihi pandis iter, tu subijcis acres
Exemplo stimulos menti, vestigia clara
Vt sequar, ostendámque mea virtute, feroci
Ex Aquila imbellem nasci non posse columbam.

A D E R.

Paſcit ADER campis Iacob armenta gregéſque.
Audit ADER ſuperûm Chriſti ad cunabula cætus.
Fundit ADER magnâ Salomonis ſtrage cohortes,
Prodit ADER ſcriptis Chriſti miracula doctis.

LE MESME.

Sur le coupeau d'ADER Iacob paiſt ſon troupeau.
Sur le coupeau d'ADER l'Ange le Noel chante.
De Salomon ADER eſt en guerre le fleau.
De Ieſus-Chriſt ADER les miracles nous vante.

I. H. A.



PRIMA PARS OPERIS.

ENARRANTVR AEGROTI noui Testamenti, quorum dum explicantur morbi, eorum patria, temperies, ætas, & vitæ conditio inquiritur, hosq; arte Medica incurabiles fuisse demonstratur.

DE ELEPHANTICIS, SEV Leprosis, à Christo Domino miraculo mundatis.

ENARRATIO I.



ONGREDIOR, fer sacra pater, & concipe fœdus. A notioribus qui in extima corporis facie splendent morbis incipio, & leprosos à Christo D. curatos, ad examen voco: quorum quum lepra, naturalibus causis debuis-

ſet originem,non abs re dubitatum eſt, an arte Medica,quæ naturalis eſt,curari reſtituíque poſſet. Nec de leproſis in veteri Teſtamento relatis ſermo eſt, vt de leproſa Moyſis manu, fronte Ozyæ Regis, corpore Gieſi ſerui, aut facie Mariæ:ſed quos noui Teſtamenti hiſtoria,& Euangeliſtarum fidelis narratio indigitat, hos ego perſequor. Hi etenim quæſitis vndiqve remedijs, nec reperta ſalute, ad Chriſtum properant: cuius fama admirandis morborum curationibus, tota Syria erat illuſtris. Videbant cœci, ambulabant claudi, loquebantur muti, purgabantur leproſi, inſani & abrepti reſtituebantur. Sanabat Chriſtus D. momento, quæ Medici naturam æmulantes, quatuor morbi temporibus diſtingunt. Et quod illi à viribus prædiuite natura, in ſperabilibus morbis poſſunt cum remedijs, in deſperatis poſſunt Chriſti verba, poteſt ilicò diuinæ manus attrectatio. *Ceſſit extemplò natura:* ait D. Chryſoſtomus, *vbi Chriſtus iuſſit.*

De quibus leproſis ſit hic ſermo.
Exod. 4.
2. Paral. 10.
4. Reg. 5. n. 14.
Homil. 25.
Primus leproſus in Capharnaum curatus.

Leproſum in primis occuriſſe Chriſto, cùm deſcendiſſet de monte, ante-

quam ingrederetur Capharnaum, censet Tostatus Abulensis. Dei enim mandato extrà vrbes se continebant leprosi, nec illis ad publicas plateas liber erat aditus, & concessus. Hunc Capharnaum Galilææ metropolim habitasse, narrant D. Ambrosius & Beda. De isto loquitur D. Matth. 8. D. Marcus 1. Lucas 5. *Cùm Iesus deinde ex Galilæa iter ageret Ierusalem.* ait D. Lucas, *Transibat per mediam Samariam, & Galilæam, & cum ingrederetur quoddam castellum, occurrunt decem viri leprosi.* Notat ergò Euangelista, in quodam castello, aut pago Samariæ hos occurrisse, locum tamen non nominat. Qui terram sanctam peragrarunt, ex indigenarum relatu, locum hunc designant, inter Magedo, & Saruntam, & in castello Saba dicto, à quo planities Magedo, vocatur modò campus Sabæ, iuxta planitiem Galilææ, vt refert Brocardus monachus, oculatus loci descriptor. Longè igitur à Samaria metropoli vrbe, curatio hæc inita est à Domino, in castello nempe Saba Galilææ contermino. Vnde certò conijciendum, hunc leprosum diuer-

In Luc.
In Marc.
Cap. 17.
Decem leprosi in Samaria curati nempe in castello Saba.

ſum à ſuperiori in Capharnaum curato. Hic enim erat Capharnaita, curatus poſt decenſum à monte: Et vt ex Chriſti D. itinerario colligo, æſtatis tempore, ad annum ætatis Chriſti D. fere trigeſimũ primum. Decem verò in campo Sabæ autumno, ad trigeſimum tertium eius annum, & cum deſcenderet Ieruſalem, mortis pro nobis ſubeundæ cauſa. Horum autem decem, vnum fuiſſe Samaritanum, aut vt notamus Sabæ incolam, nouem verò fuiſſe Iudæos, narrat ex Theophilo D. Thomas. Hos ergo Iudæos, illum ex Saba forte, & caſu inueniſſe, coniectura eſt. Nullo enim commercio, aut neceſſitudine vſos Iudæos cum Samaritanis, ſcriptura notat. Decem igitur acceſſerunt, animo quidem diſcordes, ſed intima ſpe in Chriſto concordes, vnáque ideo elata voce clamantes, *Ieſu præceptor miſerere noſtri.*

Ex Riccio.

Hi ergo ſunt in teſtamento deſignati leproſi, quorum certa haberi poſſit enarratio. Eos igitur breui expedio, illorúmque deſperatam ab arte Medica curationem, ſic demonſtro. Plenos le-

pra ab vrbe pulsos scriptura indicat: *steterunt enim à longè* ait D. Lucas. A Medicis ergo iudicatos fuisse leprosos certissimũ. *Sic expulsi sunt, ait Iosephus, omni à ciuitate, cum nullo penitus conuiuentes, & nihil à mortuis dissidentes.* Non equidem in sola morbi dispositione & ἐν χέσει, (vbi spes quædam curationis scintillaret) iudicati sunt, sed in perfectissimo lepræ actu constituti; in quo cum nulla sperabilis sit curatio, iure leprosos ab hominum cœtu, & necessitudine explodendos, sanciuit antiqua lex. In leprosis enim contagium est, & cum seminario, quo sanos attactu, vlcerum fœtore, & respiratione putida inficere possunt. His proinde à cõtagio & morbi labe deturpatur facies, pili decidunt, dilatantur nares, exeduntur ossa, lingua tumet, fœtet respiratio: omne denique morbi genus omnéque symptoma in leproso comitatu & satellitio reperitur. Morbum ergo Elephanticum fucari quidem posse iure docent Medici, curari nunquam. Quomodo ait Auicennas, curabitur lepra, cum sit cancer vniuersalis, quando cancer particularis

3.Antiq. c.13.

Leuit. 13.

Medicinam nescit.

Est Elephas morbus tristi quoque nomine dirus,
Non solum turpans infandis ora papillis,
Sed cita præcipitans funesto fata veneno.

Magnum quidem potentia morbum, iudicat Aretæus,& ad mortem inferendam, omnium longè efficacissimum, quod à nobis enarrat. 1. 3. partis vberius explicabitur.

Libr. 2. de diut. morb. c. 13.

Interim cum de leprosis in republica Medici sint assertores,& iudices,maxima autem Lepræ & Elephantiasis indicia,in facie legantur, & eligantur,prætermissis à facie signis, de quib⁹ absens iudicare nequit:coniecturis, à loco, victu, & conditione vitæ ægrotantium desumptis:æquam, iustámque, & κατὰ τὸν νόμον καὶ κατὰ τὴν φύσιν,à Medicis Palestinæ, de his prolatam fuisse sententiam ita decerno. Regio quæ calidissima est,incolarum humores impendio adurit:inæqualis autem in calido & frigido eos habet vbiq. melancholicos. Addit Galen. ad melancholiæ saburram crassorum alimentorum vsum, vnde sic ille concludit. *Itaque in Alexandria pluri-*

2. ad Glauc.

mi Elephantiasi tum ob victus rationem tum ob regionis caliditatem laborât. Quod ergo ille de Alexandria nos de Palestina eodẽ iure colligimus. Capharnaum in primis non longè distat à monte, & est secundum mare Galilææ. *Generatur* (ait) *Auicenna, siccitas in aëre appropinquante vrbi, cuius terra, vel locus saxosus est & salsus.* Locus ergo hic, calidissimus, siccissimus, salsúsque est.

Capharnaum situs & temperies.

In Canticis.

Sic & de campo Sabæ ab oriente qui cingitur mari Galilææ, & Iordane, ab austro mõte Ephraïm, & Samaria idem coniectandũ, cùm nihil habeat in tẽperie loci, & aëris dissimile. Capharnaïtis ergò & Samaritanis Elephãticis, infœlicissima sors, quorum nempe natiua temperies feruida, & arescens, in æstuoso feruentiq; solo, huic fœdissimo morbo admodũ sit opportuna: Sintrophicis autem, & connaturalibus morbis dum facilius iungimur ab ijsdem difficilius seiungimur: & quas dat ægritudines aër easdem fouet: Iudęi autem inæqualem habent temperiem. Etenim Iudæa montosa est, caloribus & algoribus inę qualiter imperita, morborũ melancho-

Campi Sabæ situs & temperies.

Iudeæ regionis temperies.

licorum feracissima, intemperiei partiū corporis calidæ & siccæ curandæ tenacissima. Nec omittendum æstatis tempus, quo est in Capharnaum curatus ille & isti in campo Sabæ autumno. Quę tempora, dum in ęgrotis exustos concitant humores, graues hos affectus non solùm exasperant, sed & manifestò adaugēt. Et ea maximè ætate, in qua istos fuisse conijcimus; nempe in cōsistente, qua iā viri sunt, morbis à bile retorrida opportuni. Sic & de illorū vitæ genere coniectandum, cum iaceant in historia sacra sine nomine, eos artes mechanicas, ac viles exercuisse: Quorúmq; victus ratio, sine dubio fuit improba, & incauta, vt vulgò victitant mechanici, & in Iudæa quam maximè: quos carnibus crassorum animaliū, fructibus multis, leguminibus, piscibúsque salitis victitare, fidem facit antiqua Iosephi, & omnium Geographorū cosmographia recens. Quod cum adeò verum sit, ad curationis illorum incommodū adderē, quod est in arte præceptoris edictū; ne medicamentis agitentur maxime illi, οἱ πονηρῇ ῥοπῇ χρεόμενοι, qui prauo

Propositorū leprosorum ætas victus & conditio vitæ.

Hippoc. Aph. 36.2.

vtuntur cibo. In purgationibus enim vt Galen. ait in Comm. διὰ τὴν κένωσιν τῶν μοχθηρῶν χυμῶν facile exoluuntur.

Age igitur, vel paucissima horum ægrotantium lepræ indicia facie designentur. Sit vel leuissimus morbi character in sanguine, pulsu, & vrina: (Quorum omnium ratione dubitandum non est hos leprosos Medicorum Palestinæ sententia fuisse iudicatos.) In re medica cæcutiret me herculè: qui hos curatu faciles iudicaret: quique vel maximis lepræ in remedijs, fidem adhiberet. Vini etenim Viperini, Theriaces, Hydrargiri, Auri potabilis, quę maxima lepræ habentur remedia, ea certe ratio non est, vis, aut potestas, morbos grauissimos in habitu firmatos, vt restituant: leprosósque homines tota membrorum compage fœdatos, cute, & carne innouent.

Inutilia omnia remedia Elephanticis confirmatis.

In te ergo Domine Iesu, miserculi mentem, oculósque conijciunt, qui eos tangere nec maculari, ipsos detergere, nec conspurcari potes: Domine si vis potes me mundare, qui Lazarum de monumento fœtidum suscitasti. Ec-

Peroratio.

ce quem amas infirmatur, sufficit vt noueris, non enim amas, & deseris.

DE PARALYTICIS A Christo. D. miraculo curatis.

ENARRATIO II.

TRES famosos toto nouo Testamento reperio paralyticos, quos arte Medica incurabiles demonstrandum mihi. Primus est cum(vt ait D.Matth.cap.8.& D.Lucas 7.) *Introisset Iesus in Capharnaum. Accessit ad eum Centurio rogans eum. Domine puer meus iacet in domo Paralyticus & malè torquetur.* Quibus verbis, duo inuoluta iacent, quæ si euoluam, ægri naturam, & ætatem demonstrabo.

Prims paraliticus è Capharnaum.

Quem in primis παῖδα id est puerum vocat D. Matth. modo δοῦλον modo παῖδα vocat D. Lucas: seruum videlicet & puerum: παῖς enim vtrumque significat. Liberum est ergò propositum ægrotum, puerum Centurionis, aut seruum cogitare: Cùm autem in sacra pagina notatum sit, Centurionem mi-

An paraliticus fuerit filius, ant seruus Centurionis.

fiſſe,ad Chriſtum non ipſummet acceſſiſſe, vt faciet Regulus pro filio oraturus,filiũ Centurionis nõ fuiſſe conijcerem.Paterno etenim amore compulſus nõ miſiſſet,ſed acceſſiſſet ipſe,quo feruentiùs ad filium Chriſtum vocaſſet. Seruus ergò meo iudicio hic eſt,qui tamen quoniã ſeruiret liberaliter,amatur à Cẽturione magiſtro, ſollicitè etenim ſerui ſui quæritat ſalutẽ. Conijciẽdum deinde eſt ſeruũ vtilem fuiſſe, & futurum:grandior erat ergò, & iam homo.

Sic & de morbi ſpecie dubitandum, vbi ait, *puer meus iacet in domo, paralyticus malè torquetur.* Si malè torquetur Centurionis ſeruus,hoc non à paraliſi, quæ affectio eſt ſine ſenſu & ſine motu. Debebat ergo conuulſione conflictari, in qua motus & ſenſus,non aboleri,ſed deprauari certum eſt. Eſt enim cõuulſio,celſo medico inſigni,in qua neruorũ rigor importunus & acutus, modò caput ſcapulis, modò mentum pectori annectit, modò rectam & immobilem ceruicem intendit: fit enim conuulſio, authore Galeno, cum inuolũtaria neruorum retractione, originem verſus,

An morbus quo detinetur hic ſeruus ſit paraliſis aut conuulſio.

Cap.3.l.4.

3. de Loc. aff. c.5.l.deTrem. Palp.conuulſ.

proinde comes eſt illi inflãmatio principij neruorũ cerebri videlicet, aut ſpinalis medullæ, vnde dolor. Nerui enim dum præter voluntatẽ contorquentur, aut diſtenduntur, grauiſſimos ſanè excitant dolores, non leues, aut ſtupidos,
2. de loc. aff. vt aduerſus Archigenem eleganter diſputat Galenus. Tali autem affectu preſſum Centurionis ſeruum, fida verba D.
κεφάλ. η. Matthæi perſonant, *ὁ παῖς μου βέβληται ἐν τῇ οἰκίᾳ παραλυτικὸς, δεινῶς βασανιζόμενος*. Quæ poſtrema verba cõuulſiones, labores & ægroti dolores perſpicuè ſignificãt, *βασανίζω* per quæſtionẽ extorqueo, & *βασανιζόμενοι* quæſtione torti.

Certum ergo centurionis ſeruum
Cap. 17. fuiſſe conuulſum: *malè habens* (ait D. Lucas) *erat moriturus*. Loquebatur ergo Medicinæ imperitus Centurio, vt vulgus, qui quoſlibet motu captos vocat paraliticos: aut fortè ſuccedebat ad conuulſionem paraliſis, aut vterque aderat affectus. Inſolens quidem eſt conuulſioni, & epilepſiæ ſucceſſio pa-
lb. 3. Fen. 2. raliſis, ſed à nobis cum Auicenna, eſt aliquando obſeruata. An ſi non à morbo, à tortore Dæmone male torquetur

paraliticus hic?sed cum à nemine quod sciam cogitatum sit, aut literis mandatum,ad morbi prognosim diuerto.

Malè habens ait D. Lucas *erat moriturus.* Sit paralisis, sit conuulsio, quis non videt salutem in præcipiti? Conuocatos credo à Centurione Duce & claro viro, peritiores, & exercitatos medicos, sed quid illi possent, audite paucis. Locus in primis Capharnaum in quo degebat æger, & cui à Romanis præpositus Centurio custodiebat ciuitatem Galileæ metropolim, æstuosus, siccus, & retorridus est,in quo morbos à frigida causa grassari, qualis conuulsio est,& paralisis, funestum. Dissentaneus etenim toto genere affectus est loco,ætati,& temperamento afflicti.Sit adolescēs,sit iam in ætate matura, spes est,in angusto. Edictū enim Hippocratis est.Eos in morbis grauius periclitari quorum naturæ,ętati,aut habitui,morbus est dissentaneus. Vbi Galenus ferè sic ratiocinatur. Si locus,aut anni tempestas,aut temperamentum ægroti, nō potuit obsistere causæ morbi, dum sanitate firma frueretur, dúmque vt ipse

Hunc paraliticum incurabilem esse.

Aphor.34.2

loquitur βοηθὸν ἔχουσα τῆς ὑγίας haberet sanitatem sibi suffragantem multò minùs, ait ille, morbo iam facto superauerit, non assistente sanitatis robore.

Aph. 6. v. & Gal. in com.

Pergamus, si paralysis est, quia vniuersalis sine dubio & paraplegia est; Illa in Apoplexiam citò recurret, à qua fortè & illa successit: si conuulsiuo tetano correptus, vnde tam malè torquetur, experimento Hippocratis, intrà quatuor dies peribit, cùm enim, ait Galen. tetanus morbus peracutus sit, vt qui compositus sit ex emprosthotono, id est, ad anteriora tensione, & opisthotono, id est, ad posteriora tensione, citiùs in ipso fit iudicatio, nō tolerante natura longiori tempore, tēsionis laborem. Quò ergo se vertat ægrotans noster, horum quocunque morborum prematur pathemate, in præsenti vitæ periculo versari, luce meridiana clarius est.

De paralitico qui portabatur à 4. hominibus.

Paralyticus alter oblatus est Domino in lecto qui portabatur à quatuor hominibus Matth. 8. Marci 2. Et alius est ægrotus hic ab eo quem curatum in probatica piscina proponemus. Hic enim in ciuitate Christi curatur, nempe

Capharnaum, quæ Christi ciuitas appellatur, Chrisostomo & Theophilo, vbi portabatur à quatuor, ditior ergo vt par est,& è longinquo illuc transuectus. Paraplecticus certè & sine dubio à Medicis deploratus, mortique vicinus: Sic præproperè inter medias hominum turbas, per tegulas submissum, & Christo D. infinitos ægrotos illic curanti oblatum legimus. Periculum nẽpe illi in mora. Paralisis enim illa grauis,& vniuersalis, in apoplexiam vbiq; & citissimè migrat. Apoplexia autẽ cita morte funesta est; spirituum animalium absoluta interceptione, & omni obstructo commeatu. Vnde premuntur tandem, ὑπὸ τῆ ὀρθοπνοίης τε καὶ τῆ ῥέγχυ ab orthopnæa & graui spirandi difficultate, cum stertore grauissimo prædicente necem.

In Marc. 2. testim. in 9. Matt. q. 5.

Quomodo sit funesta paralisis.

De ratione victus acut.

Paralyticus tertius in Euangelio diui Ioannis c. 5. Curatur à Domino in probatica Piscina Hierosolymis. *Erat ait diuus Ioannes quidã ibi triginta octo annos habens in infirmitatẽ sua.* Non explicat scriptura quod genus morbi esset, hominẽ tamen iacere paraliticum, dicunt

De paralitico in probatica piscina.

omnes interpretes. Hunc enim vidit Iesus iacentem & in grabato seu carabato, miserrimo pauperum lectulo, à κάραν & βατὸν, quod in eum solùm caput recumbant, vel παρὰ τὸ κρεμᾶν τὰς βάσεις. Quod ibi suspendantur pedes. Non mouebatur ergo homo hic, sed omnium partium infrà caput resolutus, & paraplecticus, omni & sensu & motu destituebatur. Vniuersali ergo totius corporis paralisi, & iam inueterata laborabat, quam si Medicus curaret, dealbaret Coruum, aut Æthiopem. Obsidetur enim in paraplegia tota spina dorsi, quæ suapte natura frigida, cum sua neruorum propagine, à morbo frigidissimo, & glaciali, paralisi nempe, aut conuulsione, nunquam vindicatur. Est enim frigidum vbique neruis inimicum, & calori natiuo ipsum τὸ θανάσιμον. Multitudine deinde materiæ frigidæ, & crassæ in paralisi, obruitur partium viuidus, & micans calor, collabitúrque non animalitas solum, sed & partium nutricatus: Cum è cerebro perennis irruat humorum decubitus, qui partium porulos

Quomodo paraplegia seu vniuersalis paralisis sit incurabilis.

Aphor. 18.5.

los obſtruit, & alimoniæ, omniſque nutricatus vias præcludit: ſicque tandem poſtrema ſymptomata inuehit, Atrophiam, nempe marcorem, ac maciem carnium inſignem, quæ Paralyſi iuncta. Obruet ingentes iſta procella viros.

Quid ergo de veterano iſto Paralytico triginta & octo per annos à morbo habito, ſperandum? Imo quid in natura monſtroſius? Quid in artis medicæ ἐμπειρίᾳ & exercitatione rarius? Imo certè κλάδοις ἀραιοῖς δρῦς. Rariſſima ramis quercus. Portentoſum tot annos viuere paralyticum. Credo Deum hunc reliquiſſe moribundum, vt in curatione tam difficili, impoſſibili, inaudita, & audita vi miraculi maxima: infidelibus omnibus, vel i[n]duratum,ferreumque cor habentibu[s] nefas eſſet de Chriſti deitate ambig[e]re. Domine hominem nõ habeo. Dic[it] ei Ieſus. Tolle grabatũ tuũ & ambul[a]. Et ſtatim ſanus factus eſt homo ille, [&] ſuſtulit grabatum ſuum,& ambulab[at]. Omnia ergo Domine excelſa tua, [&] fluctus tui, ſuper me tranſierunt. *Peroratio.*

DE MVLIERE INCLINATA à Christo D. miraculosè erecta.

ENARRATIO III.



Roposita est mulier inclinata in Euangelio Lucæ, 13. cum ait. *Erat Iesus docẽs in Synagoga eorum sabbatis, & ecce mulier quæ habebat spiritum infirmitatis annis octodecim, & erat inclinata, nec poterat sursum respicere.* Quænam autem mulier esset, nominatim non dicit scriptura. Sed cum tot annos morbo fuerit oppressa, & ob flagitia sua à Dæmone detenta, qui velut immanis tortor, spinam suapte natura in muliere antea erectã, contorqueret: Coniectãdum est illam ante morbum fuisse natu grandiorem. Iamque longo morbi tractu senilem euasisse, muliebrem vigorem exegisse, nec longè à quinquagesimo anno distare.

Inquirit r mulieris ætas.

Patria eiusdem.

Fuit vt ex contextu sacro colligere licet, & in Capharnaum. Quo autem

morbi genere præhenderetur, dubitari potest. Erat inclinata græcè est συγκύπτουσα. Est autem συγκύπτειν deorsum inclinari, & inspicere. Erat ne igitur vel conuulsa, vel gibbosa, simplici illa gibbositate vulgari, quæ fit à semotione & luxatione vertebrarum dorsi? Vtrumque enim vitium spinam dorsi inflectere, & inclinare potest. Siquidem Conuulsio emprostotonos dicta, tẽsio est flectentium musculorũ in anteriora, vt opistotonos in posteriora. In illa mentum pectori, in ista caput scapulis annectitur. In Tetano autem tertia conuulsionis specie, æquali robore ad vtrasque partes vergente, ceruix obriguit, rectaque & intensa manet immobilis, æquali nempè congenerum & antagonistarum musculorum, contentione violenta.

An gibbosa vel Conuulsa esset.

Gal. lib. de trem. ri. ig. palpit.

Potuit ergò misera mulier conflictari emprostotono, & si tamdiu arcuata ac inflexa permanserit. Est enim Conuulsio musculorum affectio, quæ non est interrupta motibus, nec accessionibus distincta, vt epilepsia, quæ corporis conuulsio est non perpetua.

3. de loc. aff.

Potuit & eadem gibbosa detineri & cyphosa, dorsumque habere ad itycyphon, hoc est exteriùs atq; deforis conuexum, intùs verò depressum. Qua figura gibbos post pubertatẽ detineri ad extremum senium, & Hippocrates, & experientia fidem faciunt.

In Aph & lib. de Articulis.

Probat hanc fuisse conuulsam.

De genere ergo morbi ambiguum est, sed hanc reuera fuisse conuulsam, duplici ratione mihi persuadeo. Prima quod mulier grauiter afficeretur à morbo, angeretur cruciatibus & dolore, qui sũt assidui, veræ, & primariæ cõuulsionis comites. Et ideò dicitur agitari à spiritu infirmitatis, id est à doloris, & morbi authore Dæmone. At illi qui simpliciter gibbi sunt, non ita vrgentur. In iis etenim spinæ dorsi in situ solùm & naturali positu, afficiuntur: sed musculosæ illorum partes non cõuelluntur cum dolore, quanquam non rite suo fungantur officio & munere. Altera ratio est non laborabat mulier, vt notat Maldonatus à naturalibus causis, non defluxu humorum aut catharro, non flatu, vel tumore, à quibus Gibbositatem fieri & concitari, dice-

mus in tertia parte sequenti. Neque Medici, ait Theophilactus; eam curare potuerunt. Prorsus ergò à Dæmone agitabatur. Quod indicant Christi verba, cum ait. *Hanc autem filiam Abrahæ quàm alligauit Satanas : Ecce decem & octo annis, non potuit solui à vinculo isto sabbati?* Sed esto fuerit mulier à naturalibus causis conuulsa. Erat ait scriputra συγκύπτουσα, vbi de interpretum sententia significat D. Lucas, mulierem præ longa infirmitate degrauatam, & diminutam, quæ omnino sursum respicere non poterat. Inde duo colligo. Conuulsionem primo nō in fieri, & deprauato motu extitisse, quo sperari posset curatio, sed in facto esse, vbi conclamatum. Colligo secundò si imminuta mulier est, ergò marcida, & omni nutritia vi destituta hectica facta. At siccitatem conuulsioni iunctam curare, impossibile iudicatum Hippocrati. Imo tam lethalis & oletria, quam sit ab helleboro conuulsio.

Eamque fuisse incurabilem.

Deinde præter conuulsionem erat tabida.

Aphor. 1. v.

Esto fuerit præter naturam gibbosa tot annis, non inconsultò ad senten-



tiam Hipp. Qui gibbi ex aſthmate aut tuſſi, ante pubertatem moriũtur, addes, & qui poſt pubertatẽ non protrahunt vitam diutiùs. Raro gibboſum poſt ſexageſimum vidimus annum.

Hipp lib. de artic.

Peroratio.

Quocunque ergo ſe vertat miſercula mulier, vndiq; moritur, viuere illi oneroſum, ſtare moleſtum, repit ſerpentũ infima cõditione. Quid ſupereſt? mordicus ad victũ terram voret altera Io. Gratiæ ergo tibi Chriſte. D. qui vindicata muliere à dæmonũ tirannide priſtinæ formæ noſtræ eam reſtituis.

Os illi ſublime dedit cœlumque videre
Iuſsit & erectos ad ſydera tollere vultus.

DE LVNATICO A CHRISTO D. miraculosè ſanato.

ENARRATIO IV.



Vnaticus puer narratur in Euangelio Matth. 17. Marc. 9. Luc. 9 *Et cum ven ſſet*, ait D. Matth. *ad turbã, acceſsit ad eum homo genibus prouolutus ante eum dicens. Domine miſerere filio meo, quia Lunaticus eſt, & malè patitur; nam ſæpè cadit in ignem, &*

crebrò in aquam. Addit D. Marcus, *illum habere spiritum mutũ, qui vbicunq; allidit illum, spumat, stridet dentibus, & arescit.* Interrogauit autem Christus D. Pueri patrem: *quantum temporis esset, ex quo ei hoc accidit. Respondit illi, ab infantia.* Hæc nobis præfanda erant: Et illud, factum post transfigurationem miraculũ, cùm à monte Thabor Iesus descendisset. Ex iis etenim manifestò ætatẽ ægroti, & patriam, & morbi cõditionem omnem conijcere licet. Vnde futura de illo prognosis, & prædictio. *Hunc ægrotũ non puerum sed adolescẽtem esse.*

Puer ergo hic nominatur in scriptura, quẽ tamen cùm diceret pater ab infantia laborasse, lõgaque, & chronica facta sit illius ægritudo, nõ ampliùs tenellus infãs, aut puer, sed in pubertate cõstitutus, iudicandus est. Iam ergò ferè adolescens duos septenarios transegerat. *Eius patria.*

Et erat Galilæus ægrotus hic: Post transfiguratione etenim in mõte Thabor curatus est, qui duab[9] leucis distat à ciuitate Nazareth, in qua Christus D. conceptus est. Vnus erat, meo iudicio, hîc ægrotãs, illîc de turba, qui Christũ, immedicabilia curantem, sequebatur.

Nec longiùs ergo, vt par eſt, diſtabat à patria moribundus ægrotans.

Quo morbi genere laboraret

Epilepſia autem laboraſſe, verba ipſiſſima patris, & Euangeliſtarum teſtimonia fidem faciunt. Conuellebatur, dentibus ſtridebat, cadebat freq̃uēter, & interim ſpumabat ore. Quæ ſymptomata Epilepſiam conſequi vt ſigna certa, pathognomonica, & cõcomitantia, medicis eſt in confeſſo. Lunaticus deinde factus, & ad Lunæ motum compoſitus morbus eſt: ſolet enim Epilepſia per Lunæ quadras, eadem ſæuitie, ſtatis recurrere periodis. Surdo tandem, & muto ſpiritu correptus, arreptitius Lunaticus factus eſt. Vt loquitur Abulenſis. Hæc igitur eſt ſumma morbi.

Hipp. lib. de morbo ſacro Galen 3. de loc. affect. c. 7

Quomodo Epilepſia per Lunæ quadras recurrat.

c. 147. in 17. Matth.

Refellitur Originis calumnia.

Acriùs ſanè, & cum ſtomacho inſurgit hic aduerſus medicos Origenes, incredulitatis & erroris inſimulans eos, *qui nec immundum ſpiritum arbitrantur* (ait ille) *ſed corporalem aliquam paſſionem ab humiditate nempè mota à corpore Lunæ humidiſſimæ naturæ.* Medici ſanè (parcant Origenis Manes) cum Philoſophis, tales Lunæ in inferiora

corpora dominatus, arctè tenent, & accuratè deffendunt. Ac deinde cum Theologis, maxima vis Dæmonum, fide, & certis experimentis, explorata est, & approbata. Vt enim luculentiùs enarratione sexta, & octaua tertiæ partis demonstrabimus. Prauis corporis nostri humoribus dæmones se immiscent, & Lunæ quadras appositè sequuntur, vt addicti corporali substantiæ, humorum nempè orgasmo, & apparatu morbifico, multo faciliùs ęgrotos diuexent, corpore contorqueant, & animorū falsa imaginatione, in absurda prçcipitent. Iuratus est naturæ humanæ hostis dæmon: Et quod naturalium qualitatum commercio agit, id omne in hominis perniciem minitatur.

Dæmones se prauis humoribus corporis immiscere vnde fiunt morborum causa.

V. p. 330. 338. 339 [illegible] Enarr. VI.

Hoc sanè in misero adolescente proposito certò certiùs, oculisque patet. Ait enim D. Cyrillus. *Quod nisi prudentia fuisset hic homo munitus dudùm periisset. Dæmon enim qui ipsum in ignem, & in aquam mittebat interfecisset eum omninò nisi Deus refrænaßet.* Hæc Cyrillus. Quis sanè mentis aduersus ipsissimam veritatem iret inficias? sed hunc etiam

à naturalibus causis morbo sontico laborasse, nemo contradicet. Nam præterquàm quod à Dæmone agitaretur, & motui Lunæ subijceretur, manifesta aderat naturalis morbi causa. Quæ sententia Caietani est. Crassa etenim, viscida, & lenta pituita cerebri ventriculos anteriores quam maximè obsidebat, magna exundabat humiditate cerebrum, & algiosa intemperie premebatur: Hac nempè ætate puerorum, puberum, & adolescentium, in qua ab incauto ciborum esu, helluatione, & comessatione, non mediocris fit pituitæ, humorumque crassorum in corpore prouentus. Ferax est Galilæa horariorum fructuum, quibus dum se ingurgitant pueri, & adolescentes, morbis à cerebro grauissimis exponunt se: Aciditate enim, & stipticitate, nocent cerebro fructus, & ea qua præstant dulcedine, generant vermes: quorum tetrico vapore capite perculso, graues epilepsias pueri, iuuenesque incurrũt. Nec ad hoc spernendum nobis, quod notat Hippocrates: Affricanos morbo Epilepsiæ ob-

In Matth.

Quæ etiam esset in Lunatico naturalis morbis causa.

De Galilæorũ victu.

Lib. de morbo sacro.

noxios maximè qui mediterranea inhabitant,& Galilęã. Caprinis enim pellibus induũtur, & carnibus veſcuntur, nullum etiam ſtratum,aut pallium,aut calceamentũ habent, quod non ſit caprinũ : Non enim alia ipſis ſunt pecora pręter capras,& boues : at hęc admota, & comeſta morbum augent. Potuit & melancholia præter naturam generare morbum: Locum enim retorridũ Galilæam atrabilarios incolas habere, & in magnum iſtũ morbũ procliues,non eſt dubitãdũ. Pugnaces Galilæos notat Ioſephus. Ergo exuſti,& iracũdi, ira enim eſt appetitus vindictæ,vnde bellum. lib 3 de bello Iudaico c.2.

Sed amplior eſt cacochymiæ,& vitioſorũ humorũ in Galilæis demõſtratio, ab inæqualitate ventorum,quibus tota Galilæa impetitur. Quæ etſi auſtralis ſit, montoſa tamen,frigoribus, caloribus, contrariiſque ventis, inæqualiter vrgetur : Inconſtantibus temporibus (adde & locis) inconſtantes, & mali iudicij fiunt morbi, ait Hippocrates. Quòd ſi ad aërem & locum addas aquas,ex quarum vſu, nõ minùs quàm à cibo, aut ab aëre, conſeruamur, *Galilææ temperies.* Aphor. 8. 3.

aut de bono ſtatu deturbamur: Inue-
nies Galilæam non fontanis, ſed è
montibus delabentibus aquis, potum,
& alimoniam capeſcere. Aquas autem
Hippoc. de aëre aquis. & loc. quarum fontes è petris ſcaturiunt, du-
ras eſſe neceſſe eſt. Nec præterea fluũt
impermixtæ, tenues, & ſinceræ aquæ
ex locis vbi ferrum naſcitur, ait idem
Hippocrates, aut æs, aut argentum,
aut aurum, aut ſulphur, aut alumen,
aut bitumen, aut nitrum, & alia me-
talla, quæ à montibus copioſa petun-
tur. Data eſt ergo propoſiti Lunatici,
naturalis & euidens morbi cauſa,
quam plerique ex doctoribus Eccleſiæ
dum recipiunt, dæmonis iniuriam non
ideò pernegant, vtramque enim cau-
ſam adeſſe, manifeſtum eſt.

Lunaticum iſtum incurabilem iſtam oſtendit. Sed, vt me de prognoſi abſoluam,
in tanta cauſæ magnitudine, in tanta
ſymptomatum varietate, & vehemen-
tia. Quid de præſentis ægroti ſalute
expectandum? Quis vel extra om-
nem Dęmonum inſultum, difficilem
Aphor.45.2 curam non pronuntiaret? Audi in iſto
impoſſibilem. Finem Epilepſiæ, edicto
Hippocratis, adfer[illegible] ætatis, loci, &

victus mutatio. Sed cuiusnam Epilepsiæ? Ea enim triplex est, vna primaria. 3. de loc.aff.
Cuius est causa in cerebro cumulata, altera per consensum, quæ duplex est, vel ab ore ventriculi elato vapore, aut ab externa & longinqua alia parte, suscitata aura, quæ motus conuulsiuos, & epilepticos ad cerebrum compulsa, excitet. Duę ergo in primis postremæ, mutatione ętatis, aut loci, aut victus, Medicinam nesciunt. Ergo si primaria est in cerebro nempę, & à cerebro: qualem fuisse in præsenti ægroto conijcimus, quia nempè sit à primis annis, iamque inueterata, nec manifestò ab alia quadam parte suscitata dicatur. Cùm illa mutatione ætatis per septenarios non fuerit curata, prorsus fatalem ad interitum hanc Epilepsiam iudicare par est: Lege diuini Hippocratis. Aphor. 7. 5.
Quibus ante pubertatem fiunt comitiales morbi, curationem recipiunt: at quibus eueniunt vigesimo quinto, ferè commoriuntur. Addidit quidem τὰ πολλὰ quod aliquando fatiscente ætate soluantur, nempé cùm sympathicè vrgent. Vitium autem idiopathicum in

cerebro conceptum, coëtaneum, coëuum, & σιωότροφον, immedicabile prorſus. Vocat Hipp. comitialem morbũ τὴν τῶν παιδίων νόσον. Pueris enim eſt admodùm familiaris, & vernacula hæc morbi ſpecies, idque vt doctè notat Auicenna magis in auſtralibus locis, & calidis: quàm ſeptentrionalibus, & frigidis. Sed ſi τὸ ἐπιληπτικὸν epilepſiæ eſt puerilis ætas, eius τὸ ἀπαλλακτικὸν & diſcuſſorium debet eſſe pubertas, διὰ τὴν ἔκλαμψιν ſplendorem nempè, & lumen caloris natiui, & viuifici modò micantis, quod anteà naturæ clauſtris detinebatur. Quod cùm noſter ægrotans non fuerit aſſecutus, omnis certè curationis ſpes, retrò apud illum collapſa refertur.

Lib. de aëre aquis & loc. & 6. Epid.

Lib. 1. fen. 1. tract. v. c. 10.

Sed & poſteriores qui accedũt morbi, maximis damnis dum augent ægrũ, omne ſalutis ſolamen detrudunt. Surdus & mutus factus eſt miſerabilis æger: à ſurdo & muto DÆMONE ſollicitatur, qui omnem morbi agitãdo materiã, eam è cerebro in vocis & auditus inſtrumenta propagauit; omnis ergò τῆς ἀκουστικῆς & ſenſorij effæta eſt virtus,

Epilepticum, inſtitutio mutum etiam & ſurdum.

omnis fandi fublata poteftas, eft mutus vt pifcis. An ergo huic miferrimo in mutatione victuum fperanda falus? An illi à remediis queritanda medela?

Ah! quomodo de cœlo cecidifti Lucifer qui manè oriebaris? Corruifti in terrã qui vulnerabas gentes? ô Domine detrahe illum in profundum laci. Qui fuper afpidem & bafilifcum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem. Reftitue animam meam à malignitate illorum, à Leonibus vnicam meam. *Peroratio.*

DE LYCANTHROPICIS,
Gallicè, loups-garous, *à Chrifto D. miraculo reftitutis.*

ENARRATIO V.



Vtura mihi cùm Origene diffenfio, idemq; quod antea bellum, fi ægrotos Gerafenos de quibus eft futurus fermo, arreptitios à Dæmone non dicam: quo nomine & Abulenfis eos defignat. In Matth.

Dum autem ſacra pagella Lunaticos vocat, in quibus nempè dæmon, humorum & Lunæ motum obſeruat, ſequiturque: non erit abſonum, aut à diuinis literis,& Euangeliſtarum mente alienum: ſi eos etiam à morbifica cauſa laboraſſe morbo intelligamus. Morbo equidem qui ægrorum temperamento,& loco,& tempori, ita conſentiet, vt negari non poſſit, iis intellectis quæ circa ægrotos ſcriptura narrat.

Quo morbo laborarent ægroti Geraſeni.

Deſignamus ergo Geraſenos iſtos abreptitios, vulgari mania melancholica affici, quam græci medici lycanthropiam, lupinam inſaniam vocitant, gallicè *loups-garous*. Eam autem loci, & incolarum temperamento, non admodum diſſimilem vt demonſtrem, hæc ſunt prælibanda. Factum eſt miraculum cùm veniſſet Ieſus transfretum εἰς τὴν χώραν τῶν γεργεσηνῶν in regionem Geraſenorum, ait D. Matth. D. Marcus,& Lucas habent τῶν γαδαρηνῶν. Quæ lectio interpretibus ambigua

Deſcriptio geneſareth.

eſt: Sed eadem eſt regio Gergeſſa, Geraſſa, aut Gadara, quæ eſt trans Geneſar,

neſar,

ſeu Giuoſar, vulgò Genezareth. Eſt autẽ Genezareth lacus limpidiſſimus & piſcoſus in Galilæa nomẽ habens à vicinæ terræ amænitate, fructuũ & arborum vbertate, vnde hortus principis appellatur. Dicitur & lacus Cynereth, figura enim citharam repreſentat. Nec longè diſtat lacus hic à mari Galilææ, ſeu à ſtagno Tyberiadis, vt ex Rabano & Beda, vocatur à D. Thoma. Notant autem Euangeliſtæ Chriſtum de naui egreſſum, hoc feciſſe miraculum: non tamen in Gadara, aut Geraza, metropoli ciuitate Geraſenorum, vt vult Titus apud D. Thomam: ſed in vico Tella dicto, per leucam à metropoli Geraſa diſtante, vt notant Itineraria. Nec longè Tella diſtat à monte Galaad, in quo paſcebantur porci, de quibus in Euangelij hiſtoria mentio eſt, nec lacus in quem præcipitantur longè diſſitus eſt, & ab eo monte ſemotus.

Abraham Ortellius in parergo.

In cathena aurea.

Quo in loco factum ſit hoc miraculum.

An ne ergò locus hic ſtagnoſus, maritimus, & montanus, calidus, & exuſtus, in humido & ſicco inæqualis, cumulandis prauis humoribus atrabilariis eſt opportunus? Generari ſicci-

Incolæ Geneſareth atribilarij.

tatem in aëre circumfuso locis, in quibus saxa sunt, aut mare; anteà ex Auicenna dicebamus. Et Galenus notat melancholiam in cerebro gigni, cùm videlicet internus calor, aut flauam bilem, aut crassum, atrumque sanguinem, superassauit. *Quæ melancholicum sanguinem efficiunt,* ait idem Galenus, *sunt caprina, bubulaque caro, magisque hircina & taurina: sed maximè. Asinorum Chamelorumque carnes, nam & his nonnulli vescuntur.* Hos autem fuisse Ægyptios Alexandrinos & his confines passim testatur.

3. de loc. aff. cap. 6.

Hos ægrotos energumenos lycanthropicos etiã fuisse, loups-garous, *vulgò.*

Hos autem huius loci propositos ægrotos energumenos Lycanthropica etiam melancholia vrgeri, apertissimis verbis declarat Euangelium. D. enim Matth. cap. 8. duos recenset, *qui saui nimis erant, de monumentis exeuntes, ita vt nemo posset transire per viam illam.* D. autem Marcus, & D. Lucas 8. solùm vnum Christo occurrisse ferunt. *Quoniam* vt ait D. August. *vnus eorum celebrioris personæ, & maioris insaniæ fuit, ob quem regio illa maximè dolebat, & pro cuius salute populus satagebat,* proinde eius

De concordia Euangelist.

curatio famosior. Energumenum autẽ istum, & à Dæmone tantopere agitatum, verè etiam lyncanthropicum à naturali causa extitisse intelligemus, si Medicos, de lycanthropia edisserentes, cùm contextu sacro, verbo ad verbum conferamus.

De eo ergo sic D. Lucas (atque de altero idem crediderim coniectandum) *Habebat ait Dæmonium temporibus multis, & vestimentis non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis.* Quæ verba eadem sunt cum iis quæ retulit Paulus medicus de signis lycanthropiæ. *Per noctem enim domo egressi,* ait Paulus, *per omnia Lupos imitantur lycanthropici, & quoad illucescat circà defunctorum monumenta vagantur.* Addit D. Lucas, *vinciebatur cathenis & compedibus custoditus, ruptis vinculis, in deserta agebatur à Dæmone.* Addit etiam Paulus, *perpallidi sunt, obtusè cernunt & imbecilliter vident, oculis & lingua arescunt, neque saliuam expuunt, siti enecantur inexplebili, tibias quod frequenter impingant, aut à Canum morsibus per noctes, exulceratas habent, adeo vt sanari ne-*

Conferuntur verba Euangelistarum cũ iis quæ de lycãthropia sũt apud Paulum Aeginetam.

lib. 3. cap. 16.

queant. Quid per Deos oro ſimiliùs in vtrorumque idea? Quis quos Paulus recenſet non diceret à Dæmone prehenſos? Quis quos Euangeliſta, non lycantrhopicos? Quæ non poteſt ferina illa, & admodùm maligna melancholia in cerebro cumulata? Intùs in corpore pererrans, cancros occultos excitat, dolores implacabiles concitat, mentem excruciat, oſſa exedit: exteriùs totam corporis faciem deturpat, exulcerat, tumefacit cum deformitate, terram item eructata rodit, bullas attollit, & fermentat. Calamitoſius tandem, cùm hominis ingenium extra modum effera iactat, vno verbo, cùm perturbata, & alienata mente, ex homine omnium animalium ſapientiſſimo belluam facit.

Humoris melancholici effectu.

Gal. 2 de nat. fac lib de atrabile de tumor. præter nat.

In deforme viros animal mutauit, vt iidem,
Diſſimiles homini poſſent, ſimileſque videri.

Sed vt ad obſeſſos & à Dæmone abreptos Geraſenos, redeamus: Eos lycanthropicos vberiùs intelligemus, non ſolum ex loci temperie morbis hiſce

melancholicis opportuna, sed & à tẽporis occasione conuenienti. Inita fuit horum curatio à Christo D. circa hyemis finem. Quod ex Christi D. Itinerario colligo, cum ait, *Tum tota hyeme illa peragrauit prima vice Galilæam vniuersam, quo facto in regionem Gerasenorum traijcit.* Postrema ergo hyemis parte, hoc fecit miraculum Christus: statim enim de naui egressus ad terram, vt notant D. Marc. & Luc. occurrit iste formidabilis Lupus: Erat ergò circa Februarium mensem: Quo tempore notant doctissimi Medici Mercurialis & Massaria à propria quadam huius temporis constitutione, Lycanthropiam contingere. Docteque Massaria Lycanthropiam sub Mania comprehendit, & Lycanthropicos maniacos vocat: Nec certè dissimiles à maniacis, Gerasenos istos diceremus, si quæ de mania eleganter à Fernelio scripta sunt, hic transcriberem. *Melancholiæ* (ait) *succedit mania, nobis furor vel insania dicta, quæ cogitatione, verbo, aut opere melancholicorum quædam deliramenta imitatur, sed iracundia, iurgiis, clamoribus,*

Quo tempore Christus D. hoc fecerit miraculum.

In praxi Medica c. de Menanis Lycant.

Lycanthropici sunt maniaci

Lib. 5. de part. morbis & sympt. cap. 2.

horrendo aspectu, multò denique maiore corporis impetu, & mentis perturbatione laborantes exercet ac impellit, vt quasi feræ & immanes belluæ in obuios dentibus, vnguibus, & pugnis inusitata rabie petulanter inuadant. Quæ cùm de lycãthropicis etiam dictum velit Fernelius, quid similius ornatissimis etiam verbis D. Marci & D. Lucæ, de nostris Gerasenis?

Qui laborant licanthropia ferè sunt flagitiosi homines.

Addamus denuò superioribus dictis causis, victus rationem eorum, vt omnibus numeris sit absoluta demonstratio. Idem Mercurialis notat inter externas melãcholiæ lycanthropicæ causas, vitam flagitiosam & turpem. *Qui enim* (ait) *referuntur laborasse hoc morbo, omnes fuerunt impurissimi homines.* Hic sanè qui solus proponitur in scriptis. D. Marci & D. Lucæ famosus, & notus in Gerasa, diuitiarum & amœnitatum hortulo, non poterat nõ esse aut diues, aut cum diuitibus versari. Vbi diuitiæ, ibi vitia: vbi affluxus, ibi luxus: vbi Plutus, ibi Venus.

De magnitudine miraculi huius.

Quales ergo fuerint ægroti Geraseni, palàm est. *Lupi Marim vider e priores:*

vox tamen Mærim non fugit ipsa. Expauescunt dæmones ad Christi præsentiam. *Quid mihi & tibi Iesu fili Dei altissimi? Ne me torqueas*, Dæmon ait, imo legio loquitur, in qua dęmonū centuriæ sexaginta, manipuli triginta; cohortes decē, vt in Romanorū militia fortè numerarentur. Vno tamen diuino verbulo, *Exi spiritus immunde*, eiecti sunt ab homine Geraseno tot lupi feroces, & insidiosi. Introierunt in porcos, magnoq; statim impetu ἀγέλη κατὰ τοῦ κρημνοῦ εἰς τὴν θάλασσαν per præcipitia & prærupta mōtis in mare præcipitantur, Aut. Gel. lib. 16. cap. 4.

--- Insequitur cumulo præruptus aquæ mons
Hi summo in fluctu pendent, his vnda dehiscens
Terram inter fluctus aperit, furit æstus arenis.

Sed, (date hoc Christiano Medico in nefarios illos & impios Naturę aut Fati credulos quos tenet Epicurus.) Sint propositi Geraseni absque Dęmone purè melancholici, maiores essent Hipp. in re medica maximo, quiq; fallere nec falli potuit, si cū remediis horū tenta-

rent Lycanthropicorum curant in quibus enim essali humoris melancholici, summa sunt omnia, & in quo humore tres lethales qualitates τὸ δριμύ, τὸ διαβρωτικὸν, τὸ ὀξῶδες, Acre, acidum, & errodens reperitur, sapientiùs & vtiliùs Hippocracri iudicatum, non aggredi curam. Quia nempè effera bilis atra, omnis coctionis & pepasmi incapax, affectus omnes & effectus producit vbique funestos.

In lib. Epid. & Aphoris. passim.

Peroratio.

Sed ô Medice cœlestis! ô Hercules δῖος υἱὸς καρτερόθυμος.

Prima Cleonæi tolerata ærumna laboris,
Alligatam à Sathana mulierem tu primò soluisti: Spumantem & stridentem deinde Leonem domasti.

Proxima Lernæam ferro & face contudit hydram.

Iam cadant à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis. Ita Christe Deus Apostolis militibusque tuis, dedisti potestatem supra naturam vt eam curarent, supra Dæmones vt eos euerterent, supra elementa vt ipsa immutarent, supra mortem vt eam contemnerent, super Angelos vt corpus Domini

consecrarent. Ipse ergò liberabis me de laqueo venãtium,& à verbo aspero.

DE COECIS Á CHRISTO *D. miraculo clarificatis.*

ENARRATIO VI.



Nfinitos & sine nomine in Euangelio à Domino curatos reperio Cœcos. Variis enim obsessi morbis, ait D. Hilarius, gentiles infideles, à fidelibus Domino sanandi adducebantur, vt eum adorarent. De nominatis solùm prædicere animus est.

Reperiũtur ergò in primis duo Cœci, in cap. 9. D. Matth. qui sequuti sunt Iesum, clamantes: *Miserere nostri filij Dauid.* Hoc autem miraculum fecit omnipotens, suscitata filia Archisinagogi, & curata Hæmorrhoissa, cùm à Capharnaum veniret Nazareth, ęstatis, ni fallor, tempore, circa 32. ætatis suæ annum. Ordinem miraculorum habeo ex Euangelio, & præscriptum tempus ex Itinerario, vbi ait. *Et susci-*

De duobus primis Cæcis.

De tempore miraculi huius.

D. Hieron. hic

tata filia viduæ Capharnaum rediit, ad initium deinde 32. anni Nazaretum petiit, ex quo profectus, multa vicina loca solus obit, tùm iterum cum missis Apostolis, tota illa hyeme Galilæam totam frequentat.

De aliis duobus Cœcis. Alij duo Cœci sunt. Matth. 20. vbi ait. *Et egredientibus illis ab Iericho, secuta est eum turba multa. Et ecce duo Cœci sedentes secus viam: &c.* D. Marc. c. 10. hoc in vno Cœco factum dicit, qui Barthimæus dicitur: De quo etiam loquitur D. Luc. cap. 18. vbi Maldonatus cùm Theophilacto, dicit vnam & eandem esse historiam, quæ à tribus Euãgelistis narratur, omnia enim similia gesta sunt, sed fortè D. Luc. & Marc. nominãt famosiorẽ filium Thimęi Barthimæũ, etiamsi esset mendicans; nec mirùm: Irus enim Ithacensis mendicus ac turpissimus in Odyssęa Homeri famosus est, nõ minùs quàm Crœsus ditissimus in historiis, & Christus Dominus pauperes, suos vocat, atq; in locum sui nobis reliquit. Quicquid sit, hi postremi curati Cœci in Iericho, ex D. Matt. historia, diuersi sunt ab iis superioribus

in Galilæa, omnes tamen mendici, & pauperes, veréque Cœci. Salmeronius notat eũ de quo loquitur D. Marc. nẽpè Barthimæum, in Bethsaïda patria Petri fuisse curatũ: sed quotquot sunt sacri elogij interpretes, quos mihi perlegere cõtigit, dicũt omnes, miraculum hoc à Christo peractum, dum ex Galilæa iter ageret in Ierusalem, & Iericho transiret, paulò antequàm pateretur.

In Marc. to. 1.

Quo morbo propositi Cœci laborauerint.

Sed ad rem, hi duo Cœci curati in Iericho, & illi duo in Galilæa; laborabãt vitio cæcitatis vulgaris, quæ græcis medicis Amaurosis, Arabibus verò *gutta serena* vocatur, qua limpidissimi deforis enitent oculi, intùs tamen nullã lucem capiũt, sed prorsùs versãtur in tenebris. Non autẽ erat simplex Amblyopia, visus quædã debilitas, qua aliqua lucis vsura frui datũ est, sic enim & ipsi christũ vidissent, *at audierũt quia Iesus trãsiret*, ait D. Mat nõ viderũt. Sed & de primis, ex sacro contextu, illud etiam vberiùs intelligitur. Tactis enim à Christo Domino, aperti sunt oculi eorũ, ergò clausi prorsùs à luminibus, & verè cœci.

Quòd si non Amaurosis, seu gutta

ſerena huius ſit cœcitatis cauſa, ſed ὑπόχυμα, ſeu ſuffuſio, quam vulgus Chirurgorum Catharactam appellitat, maius indè miraculum conijcies. Catharactam etenim quis medicamentis deleret? cùm nec ferro, aut acicula tutum ſit illam deprimere. Quam proinde Circunforaneis relinquunt prudentiores Chirurgi.

De cauſis cœcitatis.

Sed & alij deindè affectus poſſent cœcitatem inducere: nulla enim eſt pars corporis, quæ tantis, tamque diuerſis morbis infeſtari poſſit, ac obſideri. Quorum ferè omniũ cauſas, vel in cerebro, vel in viſili ſpiritu, vel in optico neruo, aut humore cryſtalloide reperiri, enarratione 12. 3. partis fiet apertum. Nos autem hîc communiorem cauſam, ἔμφραξιν, & obſtructionem nempè optici nerui, è cerebro ad oculum delati, ab humoribus craſſis, viſcidis, & lentis, illûc confluentibus, ſenſimque aut ἄθροως impulſis adducimus. Quam vt & aliam omnem cauſam in cœcitate chronica, & confirmata, deſperatæ curationis eſſe certum, & ab experientia notiſſimum eſt.

Eamque & in horum ægrotorum exercitatione, cùm ex natura loci, tùm ægrorum temperamento, victus & vitæ conditione, impossibilem fuisse demonstrabo.

Quibus in locis sit familiaris visus debilitas.

Hæc certè oculorum vitia familiaria animaduertes his locis australibus, si cæterarum regionum temperiem inspicias. In borealibus etenim partibus, Flandria, Bohemia, Germania, vbi purus & tenuis aër est, perpaucos reperias suffusos, & quibus ocularia præsidio sint: in Italia, ob aëris crassitiem, per plures tùm cœcos, tùm obscurè videntes: in tota Syria, & Palestina infinitos. Tanti refert aëris puritas, ad visilium spirituum nitorem; vt non minùs in aëre turbido hebescat visus, quàm concidat in putido vitale robur. Galilæa, & Iudæa, maribus & stagnis intermediæ, aërem habent turbidum, crassum, caliginosum, ac proindè oculis nocentissimum: vbi & frequentes sunt austri, ἀχλυώδεις, & βαρήκοοι. Nec meliùs expectandum de Iericho, non enim longè dissitus locus est à mari mortuo, de quo sic

In deſcript. terræ ſanctæ.

Brocardus. *Mare illud ſemper fumum reddit, & nebulam, in modum camini infernalis. Vnde tota illa vallis, quæ aliquando ob ſui fæcunditatem, & amœnitatem, illuſtris dicta fuit, ad ſpatium dimidiæ diætæ, tota facta eſt ſterilis: ita vt nec vllum germen proferat, per ſpatium quinque leücarum, niſi iuxtà ciuitatem Iericho, vbi horti irrigantur à fonte Eliſæi*, hæc Brocardus. Quæ ergò poteſt illic eſſe aëris ſerenitas aut puritas? Quid in tam caliginoſo aëre videret Argus aut Lynceus? Multùm etiam poteſt ad hebetudinem viſus, victus ratio. Notat Mercurialis de Italis, notat Ioſephus de Galilæis, & Iudæis, eos craſſo admodùm, crudoque cibo, fructibus, & herbis victitare: Quæ ratio victus capiti, oculis, ſpirituũ que nitori vbique bellum indixit. Accommodanda hæc ægrotis noſtris, mendicis, & pauperculis Cœcis, eleemoſinis victum quærentibus. Vbi ergò regio, ambiens aër, victus ratio, & particularis locorum conditio, incolas oculis, & viſu hebetes, & imbecilles denotat, humorumque craſſorum in

Hos incurabiles cæcos oſtendit.

capite congestorum cumulum quasi indigitat; Quis ibi Cœcos omni luce iamdiù orbatos, & in cœcitate confirmatos, curabiles ab arte diceret? An ne dices remediis ad visus aciem Palestina terra omnium remediorum feracissima, destituta est? Perfectæ me herculè cœcitatis, cœca medicina est.

Opportunè ergò ægroti Cœci, si non vident, ô bonum omen! nomen audiunt Christi Saluatoris. Extemplò cursitant, sequuntur, acclamant: Illos increpant, exclamant nihilominùs, & importunos facit opportunitas. *Domine fili Dauid miserere nobis, aperiantur oculi nostri.* Qui nempè potes non solùm restituere destitutos, sed non institutos instruere, in lapidibus oculos confingere, eosq; facere videntes. Dominus enim soluit compeditos, Dominus illuminat cœcos. *Peroratio.*

DE SVRDIS, ET MVTIS, A Christo D. Curatis.

ENARRATIO VII.

Surdos & mutos maritimis in locis abundare.



VRDIS, & Mutis, abundantes regiones maritimas, si ratio non dictatet, suaderet Cicero, in somnio Scipionis, de mira spherarum mundi, edisserens volubilitate, cùm ita loquitur. *Hoc sonitu oppletæ aures obsurduerunt, nec est vllus in nobis hebetior sensus: sicut in illis vbi Nilus, ad illa quæ Catadupa nominantur, præcipitat ex altissimis montibus. Ea gens, quæ illum locum accolit, propter magnitudinem sonitus, sensu audiendi caret.* Tumultuosum solicitat mare, ait Horatius. En qua sonorum circuit terras mare, Quintianus ait.

Tyr & Sidon.

Non mirùm ergò, si in partibus Tyri & Sydonis maritimis regionibus, & circà mare Galilææ, reperti sunt tot Muti, & Surdi, qui oblati Christo D. ab infir-

infirmitate curantur. Facto enim miraculo Cananeæ, D. Math. ait *Et cùm transiſſet indè Ieſus, venit ſecùs mare Galilææ, & aſcendens in montem ſedebat ibi, & acceſſerũt ad eum turbæ multæ, habentes ſecum mutos, cœcos, claudos debiles, & alios multos.* Sed expreſsiùs D. Marcus ait. *Et iterùm exiens de finibus Tyri, venit per Sydonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos : & adducunt ei ſurdum, & mutum.* Eſt autem Decapolis, regio, à mari Galilææ ad Sydonem extenſa, in qua ſunt decem præcipuæ vrbes, Tyberias nempè, Cephet, Cedes, Neptalim, Aſſor, Cæſarea Philippi, Capharnaum, Ionitera, Bethſaida, Coroſaim, & Bethſan, vt ex Iacobo Patriarcha Ieroſolimitano deſcribit Brocardus. D. autem Matth, in cap. 9. ait *Egreſsis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, Dæmonium habentem, & eiecto Dæmonio, locutus eſt mutus.* Interpretes omnes vtrumquè dicunt à Dæmone obſeſſum : & eum quem mutum ſolùm vocat D. Matth. & eum quem mutum, & ſurdum, D. Marc. Cenſent tamẽ pleríque, vnum & eundem fuiſſe

Quid decapolis.

In deſcriptione terræ ſanctæ.

De propoſitis mutis.

An mutus D. Matth. ſit diuerſus ab eo qui mutus & ſurdus proponitur à D. Marc.

ægrotum, quod mihi non persuadeo. Etenim qui à D. Matth. mutus proponitur, curatur cùm Christus à Gerasa in Capharnaum rediret, vt notant hoc loco Interpretes, omnes enim in eo cap. 9. relatos, simul curasse perspicuum est. Surdus autem, & Mutus, qui à D. Marco cap. 7. cùm Christus venisset per Sydonem ad mare Galilææ, restitutus est. Sic vt & in diuersis temporibus, sic & in diuersis locis, factam curationem, notant Itineraria. Mutum nempè illum de quo locutus est D. Matth. cap. 9. in vrbe Sarunza, non longè à Samaria habitasse, etiam si ad confinia Decapoleos, curatus fuerit. Alter veró qui surdus & mutus, erat indigena, & in Decapoli è Capharnaum. Est & alia ratio, qua persuasum habeo diuersos fuisse. Curantur enim diuersa admodùm forma. Eiecto enim Dæmone, curatus est mutus, D. Matthei solo Domini verbo. Ille verò Marci impositione manus. *Misit diuina manus digitos suos, in auriculas eius suspiciensq; in cælum ingemuit, Epheta, ait, quod est aperire*, vel

De loco miraculi huius.

Horum ægrotantiũ patria.

Ephphata, vt est in versione græca, ex imperatiuo passiuo primæ coniugationis Chaldæorum, id est apertus esto. *Et statim apertæ sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè.*

Postremò curatus mutus eiecto dæmone, à dęmone muto, nullis adiunctis naturalibus causis obsessus, mutus erat, & fortè surdus Κῶφον vocat D. Matth. quòd surdum magis quàm mutum significare, notat D. Hieronymus. Disputant quidam, an dæmones muti, aut surdi, dentur à natura sua: Respondet Maldonat. dæmones non esse mutos, aut surdos, sed quod homines mutos, aut surdos efficiant, ita dici.

In Matth.

An Dæmones muti aut surdi dentur.

In 9. Matth.

De illo verò qui curatus apud D. Marcum, etsi à dæmone correptum crediderim, à naturalibus tamen causis, & à dæmone excitatis laborasse certò coniectandum. Dicitur μογίλαλος, quæ dictio, vt notant Interpretes, non mutum, sed ægrè loquentem significat, quod nempè vinculo ligata lingua detineretur. Hoc autē vitij genus, à Paulo Medico vocari ancylion,

Quis horum laborauerit à naturalibus causis.

Ancyloglossi causa. aut ancyloglosson, dicemus Enarratione 13. 3. partis. Cuius vulgares causas, vel à natura, vel à cicatrice ex vlcere sub lingua, recensebimus.

An ergò hic mutus, certis iis causis morbo mutitatis prehensus, curari restituique poterat? Certùm quidem in pueris, vitium illud recens sub lingua, excisione cum scalpello, à Chirurgiæ peritis curari: At in grandioribus, & iam viris, aut ætate confectis, præsens est periculum. Membranæ enim, & ligamenta, quæ linguam in tali affectu deuinciunt, & alligant, duriora facta & exsiccata, curationem respuunt. Lib. 6. cap. 29 Paulus enim, graues indè hæmorrhagias quæ sisti nequeant subsequi, expertus est. Nec minùs ob loci, & ligamentorum naturam, mutitas perpetua, aut quod peius est, paralysis, vel conuulsio, succederet: Ita ægrotus incideret in Syllam, cupiens vitare Carybdin. Imprudentis sanè artificis est, eam exercere curam, quæ grauiorem peioremque morbum, inuehit.

Peroratio. Tu ergò Domine Iesu, qui mutis Apostolis, Discipulisque tuis, scien-

tiarum & artium ignaris, Diuinum posuisti verbum in ore: qui his, *Epheta*, dixisti & vinculum soluisti linguæ. Aperi linguam meam, vt os meum laudem tuam annuntiet, liberáque animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa.

DE SOCRV PETRI, FEbriente, à Christo D. Curata.

ENARRATIO VIII.

PRoponuntur duo Febrientes in nouo testamento. Primus nominatim à D. Matth. in 8. D. Marco 1. D. Luca 4. Alter est Ioan. 4. De primo sic D. Lucas. *Surgens autem Iesus de Synagoga, introiuit in domum Simonis, Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, & rogauerunt illum pro ea, & stans super eam imperauit febri, & dimisit illam, & continuò surgens ministrabat illis.* Cuius mulierculæ diuina historia, vt innotescat; quædam præfanda sunt,

quæ nos ad eius temperiei, & ætatis cognitionem ducere poſſunt, quæque faciunt ad morbi diagnoſin.

Aetas mulieris laborantis inquiritur.

Nominant illam ſocrum Petri, hoc eſt matrem vxoris Petri. Si ergò filiæ habetur ratio, & eius ætas ſpectetur à nobis: Cùm ex antiqua lege & cõſue-

Ariſt. 7. Polit.

tudine, filiæ antè decimũ octauum annum connubio non obiungerentur; eius mater, quæ eſt ſocrus Petri, non poteſt non eſſe ferè quinquagenaria, iamq; ſenex, & ea in ætate conſtituta, in qua non amplius poteſt mulier mu-

lib. 6. Epid p. 8

liereſcere, γυναικωθῆναι dicit Hippocrates.

Locus vbi mulier laborabat morbo. Cartuſian. in 8 Lucæ. Num. 18.

Dubium etiam eſt: an in Capharnaũ, aut Bethſaida laborauerit: Multi cenſent Andream, & Petrum, in eadem domo Capharnaum habitaſſe. Andrichonius tamen, in tribu Zabulon, domum hanc in ciuitate Bethſaida collocat, quæ Petri patria erat. Et ita

In 8. Matth. Maldonat. ibidem.

Rhabanus apud D. Thom. *Bethſaidam* (ait) *quia vicina erat Capharnaum, pranſum iuiſſe Dominum, aut cœnatum.* Dicunt alij Petrum, in Bethſaida domum habuiſſe conductitiam, aut fuiſſe

domum vxoris Petri. Quicquid sit, etiam si Petri patria imò & Philippi, & Andreæ esset Bethsaida: dum narrant Euangelistæ hanc mulierem, cùm descenderet de monte,& egressum de Synagoga Dominum curasse, certò testantur, illam fuisse Capharnaum, & ita censet Tostatus Abulensis. In verb Matt.

Nec certè multùm refert: An Bethsaida laborauerit, si quid à loco sumendum est, aut iudicandum diuersum temperamentum: sunt enim & Capharnaum, & Bethsaida, ad littora maris Galilææ. Qui locus (vt non semel visum est)calidus,siccus,salsus, & retorridus est. Adde, hoc initum post sermonem Domini in monte, & post miraculũ curati Leprosi, & serui Centurionis: Quod in æstate contigisse,& feruente Sirio,anteà in historia Leprosorum, ex Christi D. Itinerario colligebamus.

Quæ omnia si non oscitanter contemplemur, & acriùs medica statera ponderemus, inueniemus ex morbo ægrotantis naturæ nõ dissimili, mulierem istam,pristinum temperamentum, *De ægrotã tẽperamento.*

à primordiis naturæ, & à loco contractum, calidum nempè ſiccum & bilioſum ſeruaſſe, eumque videlicet tale, quale ætas iam inclinata, & debilitata ferre poteſt. Quadragenariam ergò, aut quinquagenariam, ſi cum loci natura, & victu in regione aſſueto, conferas mulierem, ſuccis retorridis, feroſis, & pituita ſalſa, abundare certò conijcies. Appoſitiſſimum certè ad febres graues, continuas, & ardentes.

Qua febre detineatur mulier.

Magnis febribus eſt prehenſa mulier hæc, ait D. Lucas ἦν συνεχομένη πυρετῷ μεγάλῳ. Verbum ſonat: erat in continente, ſeu continua, febre magna. Euangeliſta loquitur vt vulgus, qui magnas febres vocat, quas Hippocrates dicit acutas, continuas, cauſonides, ardentes. Quarum fecit duo genera Galen. exquiſitam nempè, vel notham. Illa fit à bile flaua in maioribus venis, vnà cum ſanguine efferueſcente, & putreſcente. Notha verò, ſpuria, & falſa fit, quando bili, ſalſa pituita commiſcetur. Huius autem febris ardẽtis, duo propoſuit ſigna Hipp. cùm

In epidem & com. 4 ſec. 13 acut.

ait, Καῦσος *cum detinuerit febris adest,& sitis inexhausta, lingua aspera, nigraq; fit, hoc sanè à spiritus caliditate.* Ardet, ęstuat cor cum pulsu magno & frequēti, magna adest humorum perturbatio, quā confusa rubraque vrina demonstrat, tempora pulsant, adest delirium, & inquietudo.

Citato loco, & lib. de affe- ctionibus.

Hęc omnia in præsenti muliere adfuisse, non est dubitandū. Laborat enim magnis febribus, vt loquitur Euangelista, æstuoso in cælo, & solo, vbi non poterat non esse sitibunda, pectore flagrante & lingua. Ad caniculæ ortū ait Poëta, ἄρα χαλέπα, πάντα δὲ διψᾷ, ὑπὸ καύματος hora difficilis, qua cuncta sitiunt, præ ardoris æstu.

Alciat. ad Anacreont.

Fuerit autem excitata febris à bile, aut qualem incurrunt seniores, à pituita salsa: omni nomine non potuit non esse mulieri funesta, & exitiosa. His enim facilè stagnosis, palustribusque locis, quibus aër inquinari, putrescereque solet, accenduntur febres pestiferæ, mala qualitate, aut magna accidentium proteruitate, calamitosæ: Atque in his quàm maximè

Incurabilem fuisse hāc mulierem demōstrat.

reperiri ſolet, quod τὸ θεῖον, vocat Hippoc. cùm ait. *Quin etiam ſi diuinum quidpiam morbis ineſt, huius quoque prouidentiam perdiſcere.*

Mulierem demùm fuiſſe vſam remediis, non eſt dubitandum. Ideo ait ſcriptura. Quia deſperata à Medicis viſa eſt, ob graues conſiderationes deprecatum fuiſſe Chriſtum, vt illam curaret. Deſperata certè illius ſalus à Medicis, & non iniuria, Hippocrates

Aph 19. 2.

ait. Acutorum morborum, incertas eſſe prædictiones, ſalutis, aut mortis. At in iſta auſim dicere certiſſimam eſſe mortis prædictionem. Laborant equidem mulieres ſuapte natura frigidæ, laborant & ſenes, à febre magna. Sed tunc in illis, tam certa deſperatio ſalutis eſt, quàm quia incerta, non poſſet in iunioribus, ac robuſtioribus promitti. *Senes,* ait Galenus, *rarò febricitant acutis febribus, quæ tamen ſi acciderint, omninò ad ægrotantis interitum terminantur. Iudicio enim eſt* (ait ille) *immenſam quãdam eſſe cauſæ febrem facientis magnitudinem.* Cùm ergò de mandato Galeni, Deploratos non oportet aggredi cu-

Com. 14. 1. Aphoriſm.

rare, sed relinquere, & morbi tantummodo finem prenuntiare, ne fortè infamentur præsidia, quæ multis fuêre saluti: Bonam hanc mulierem cœlesti committamus Medico, & actutum Reguli filiolum acutè febrientem inuisamus.

DE FILIO REGVLI FEbriente, à Domino miraculosè curato.

ENARRATIO IX.

FEbre etiam laborabat puer, apud D. Ioan. in 4. vbi sic est. *Venit ergò iterùm in Cana Galilææ, vbi fecit aquam vinum. Et erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Hic cùm audiret quia Iesus adueniret à Iudæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum vt descenderet, & sanaret filium eius, incipiebat enim mori.*

Erat ergò puer hic Reguli filius, græcè est, βασιλικὸς, vel βασιλισκὸς, regius *Quis fuerit Regulus ille.*

siue regalis. Quo nomine, non parui Reges, aut Regum filij solùm significãtur, sed alicuius vrbis, aut oppidi, aut ditionis Domini; aut Magistratus: & ita passim ab Interpretibus vsurpari, certum est. Et Carthusianus eos recẽsset, qui hunc Regulum Cæsaris fuisse Officialem, & ad custodiam vrbis Capharnaum deputatum, referunt. In quo admodum hæret Ireneus lib. 2. Existimabat enim huius Reguli puerũ, Centurionis iam à nobis enarrati, fuisse filium. Quod Chrisostomus cæterique Interpretes impugnant. Puer etenim Cẽturionis, laborabat Paralysi, hic verò febri, ille erat seruus, hic filius. Addo quod à nobis de Centurione assumptum est: cùm pro seruo rogaret obuiã non iuisse Christo, sed ad illum misisse. Regulus autem, qui pro charissimo, forteque vnico filio deprecaretur, adfuit præsens, quò citiùs, & amantiùs Dominum ad sui misericordiam impelleret. Diuersas ergò curationes, in diuersis locis, & personis; diuersisque temporibus à Christo D. miraculosè celebratas certissimum.

Citato in Ioã.

Qui putant hunc filium Reguli fuisse seruũ prædictum Centurionis.

Homil. 34. in Ioan.

Hunc autem Regulum Iudęum fuisse, sed in Capharnaum modò inhabitare, certum est. Atque quod in illum increpat Christus. Iudæum fuisse testatur. *Nisi signa* (ait Iesus) *aut prodigia videritis, non creditis.* An verò filiolus hic fuerit, vt pater natione Iudæus dubitari potest. Quem tamen cùm adhuc in infantia audio, crediderim faciliùs indigenam. Qui si non sit, non multùm à temperie loci, dissonam pueruli naturam, ex morbi quo conflictatur rumore conijcio. *Aegroti quæ patria.*

Vrgebatur sine dubio maligna quâdam febre putrida, acutissima, & & lethali, fortè Variolis, aut Exanthematis comitata, cum grauitate accidentium, quibus malignas febres ea in ætate stipatas, cernimus. Aderat fortè & à vermibus corruptela ingens: qua in grauia symptomata, tremores, conuulsiones, pauores, vigilias, sopores, dolores, ploratus, & diarrheas lethales, pueruli nuperque nati incidunt. Iudicant Medici quidam, pueros faciliùs, synochas & sanguineas febres incurrere, alij biliosas: *Quis morbus.* Merca. Mercur. Leonel. fau.

Sed eos omni febrium genere prehendi, mille experimentis habeo confirmatum.

De inscitia mulierum in pueris educandis.

Cùm autem de his edisſero, videor mihi manu attrectare, delicatulum Reguli puerulum, eo genio, & voluptate educatum, quales modò intueor in nobilium, diuitumque familiis. Quos cibariorum multitudine, & varietate, cùm in ſanitate, tùm in morbis, plena manu ingurgitant. Mulierculiarum hæc indulgentia eſt, quæ quo gladio enecare morbum tentant, eodem inſcientes, miſerculos iugulant pueros. ἡ δὲ ἀπειρίη κακὸς θησαυρός. Imperitia (ait Hippocrates) malus theſaurus eſt. Et qui ſine cognitione cauſæ, aggrediuntur morbos, clauſis oculis Andabatarum more depugnant.

Peroratio.

Sed ah! Regule mi, moritur infans, patitur expirat, cum luce luctatur, imò cum tenebris. Nihil aduersùs morbum Medici, nihil pharmaca poſſunt, nihil magiſtratus imperium, aut diuitiæ. Quò ſe vertat, neſcit miſerabilis pater, moritur in filio, in dubio

illi animus eſt, hûc, illûc, impellitur. De Chriſto quoſlibet morbos curanti fama eſt. Clamant præſentes, teſtantur, affirmant ſe vidiſſe: fidat ne Chriſto hic dubitat, abſenti medico non credit, Tandem quia ſpes eſt in anguſto, dolor ancipitem elidit fidem. Ad Chriſtum pater pedibus contendit, quo reperto, acclamat anhelus. *Domine deſcēde priuſquàm moriatur filius meus.* O Regule fœliciſſime! habes quod ſperares vltrò reſponſum: *vade filius tuus viuit.* An ne iam vides Regule? an ne credis? quia non eſt locus vbi Deus non ſit. Gratias ergò tibi Domine Ieſu, qui deſperatæ ſalutis filium dum redintegras, in dubia fide patrem confirmas: Quo de fide in te deinceps non dubitet poſteritas: aut in aduerſis ab alio, quàm à te, omnium bonorum patre, & ægritudinum noſtrarum vero medico, ſalutem non emendicet.

DE HYDROPICO DIVInitùs Curato.

ENARRATIO X.

PRoponitur Hydropicus ab Euangeliſta & Medico D. Luc. in cap. 14. *Et factum eſt* (ait) *cùm introiſſet Ieſus in domum cuiuſdam Principis Phariſæorum, Sabbato manducare panem, & ipſi obſeruabant eum. Et ecce homo quidam Hydropicus erat antè illum. Et reſpondens Ieſus dicit ad Iuriſperitos, & Phariſæos, ſi licet Sabbato curare? & illi tacuerunt, ipſe verò apprehenſum ſanauit eum.*

De tempore curationis. In Lucam.

Vt igitur in propoſito laborante, ad eius prædictionem, de cognitione morbi, ægroti patria, temperie, & eius conditione, me breui abſoluam, à poſtremis initium ducam. Curatum Hydropicum præſentem interim notamus, cum Maldonato, eodem tempore, quo cæteri, in præcedenti capite Matth. curati dicuntur. Erat & in eodem

dem loco nempè in Galilæa Capharnaum, & ibi notus ab omnibus, homo tamen minoris fortunæ, vt ex sequentibus colligere licet.

Ordinatione quidem diuina Hydrodropicum istum aduenisse, notat Carthusianus: Nec indè tamen dubitandi occasio delata est: An nempè cautè homo hic à Pharisæis fuerit accersitus, quibus erat in animo, vbique subsannare Christum, & insimulare. An verò Christum sequeretur ille vocatus. Sed esto, sint dolosi qui in fraudem: sit Christus qui eludendi dolum causâ Hydropicum vocauerit. Illum certè Hydropicum fuisse, tempore, morbóque longo notum, coniectura est. Et ea laborare Hydropis specie, quæ maximè oculis innotescit conspicua, Lippis, vt aiunt, & tonsoribus nota, Ascite, inquam quæ aquis, vtris in modum ventrem inflat, aut flatu tympani more distendit, & amplificat: tanta tensione, vt ad eius intuitum territi homines toto corpore perhorrescant, multique exclament Dominus meliora.

Ibidem.

An à Christo vel à Pharisæis, fuerit hic Hydropicus conuocatus.

Qua Hydropis specie laborauerit.

Hunc fuisse Hydropicum confirmatum. Huius ergo miserandæ ſortis, hunc fuiſſe Hydropicum dubitandum non eſt, non enim à Phariſæis, alius quàm vulgo nomine, & morbo notus, conuocaretur. Aut ſi Chriſtus vocauerit, ante ſibi iuratos hoſtes, leuem, & curatu facilem ægrotum non tangeret. Agebatur ergò de homine noto, de morbo magno, cui ſine dubio antè fuerint data remedia multa. Tentata, & experta in eo Hydragoga, quæ ad exhauriendas abs ventre aquas, vulgò nota ſunt, & vſitata, eaque paratu facilia. Qualia ſunt Cucumer agreſtis, Iris, Ebuli ſemen, Tytimalorum ſpecies vulgò familiaris, Cataputia dicta, & alia ferè ſine numero. Nec ſi fuiſſent induciæ, aut coniecturæ non exhauſti genij in hepate, tam celebri, & populoſo loco: antiqua ventris punctio Parachenteſis, in homine vulgari & pauperculo, aut ab amicis in vrbe, aut in Xenodochiis non fuiſſet prætermiſſa.

Causa externa Hydropis. Sed nota ſit ex præcedentibus Galileæ, & incolarum eius temperies, & habitus: Eorum itidem victus ratio

non ignorata. Cùm auſtralis plaga, aëris exuſtio & impuritas, tetrorum vaporum concurſus, craſſorum & ſalſorum alimentorum eſus aſſiduus, ſi cui corporis parti, hepati bellum indixerint: Hunc Hydropem, non per ſimplicem potatæ aquæ frigidæ ſynaſtriſmum, & cumulum: non per morbi cuiuſdam apoſtaſian, aut ſudorem criticum in abdomen impulſum, & ibi ſtagnantem, aut per ſimilem quandam leuem alienationem functionis hepaticæ (quam vulgares Medici vocant Hydropem per conſenſum) ſed per ipſiſſimam hepatis ἀτονίαν introductum eſſe, rimandum eſt: eumque primarium, & ab hepate. Omnes quidem Hydropes læſum habere hepar, teſtatur Galenus. Sed qui per conſenſum Hydropes fiunt, aliquando leues, de illis non ſemel Medici triumphant. At in eo qui per atoniam, & primarius eſt ſperare curam? ſuſtinet cœlum humeris alter Athlas, qui tale onus Æthna grauius ſibi imponit.

Hunc fuiſſe Hydropē primarium & ab hepate.

Lib. 5. de loc. affect. c. 7.

Qui Hydropes curentur & qui incurabiles.

Talis eſt me herculè propoſita affectio quæ ſuadente loci ſyngenæa tem-

Hūc Hydropicū deſperatū à curatione.

perie cum ægroto, victus syntrophica complexione, per frustrationem αἱματώσεως ἔργου sanguificandi operis, generatur. Cuius est ferè assidua causa, conceptus ignis in hepate. In illo inquam hydrope; nec viscera benè morata sunt, nec virtus nutritia lucet in concoquendo, sed spiritus adest difficultas, fatigat tussis, aspera lingua est, corpus inæqualiter insuauiterque calet, extimæ partes liquescunt, & contabescunt. Adsunt tandem phthisis, & hepatitis, quæ mutuò conspirãt in ægri perniciem, fitque quod literis proditum ab Hippocrate ἐφ' ἡπατικῷ τῆξις καὶ ἅμα βράγχου, κακόν. In hepatico mala est colliquatio, cum raucitate & tussi.

Peroratio. Sed ô admirabilis Christi D. potestas! Illi tacuerunt, ipse verò apprehensum sanauit eum, ac dimisit. An non tu Domine qui in factis passus es obseruatores, in attonito isto curato, attonitas vides Pharisæorum mentes? Sed qui in dictis habes contradictores. Quis modo illorum contradicet miraculo? Quis te mirabilia agere denegabit?

Quis te Christũ non adorabit? Purgasti mundũ ab aquis in Cataclysmo. Exhauris modò aquas in hydropico. Quid gratiæ nobis? vt aquæ tandẽ quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.

DE HOMINE MANVM aridam habente, A Christo D. miraculo redintegrato.

ENARRATIO XI.



ON erit præter rerum medicarum ordinem, si ab Hydropico, ad hominem manum aridam habentem; enartationum mearum filum deducam. Atrophia etenim, Cachexia, Hydropsque omnis, affectus sunt, qui aut alimentorum coctioni, aut distributioni, & anadosi officiunt, & incõmodant, proinde vna consequũtur se. Proponitur ergò in diuinis D. Matth. scriptis, cap. 12. Homo hic. *Et cùm inde transisset*, ait, *venit in Synagogam eorum. Et ecce homo ma-*

num habens aridam. Et infrà, tunc ait homini. Extende manum tuam, & extendit, & restituta est sanitati, velut altera. Addit D. Lucas. *Et erat ibi Homo & manus eius dextera erat arida. Et ait illi Iesus. Surge, & sta in medium.* Quorum omnium diuino testimonio, & verbis, ita fideliter ægroti patriam, conditionem, partem affectam, affectus speciem coniicimus, ac si oculis nostris ægrotum ipsum intueremur.

Ægroti patria & eius conditio.

Locus in primis, in quo erat mendicus homo, est antè Synagogam in Capharnaum. Cuius conditio nota est miserrima, quia Cæmentarius. De quo D. Hieronymus. *Iste homo* (ait) *qui aridam manum habet, Cæmentarius scribitur, istius modi vocibus auxilium precans. Cæmentarius, manibus victum quæritans, præcor te Iesu, vt mhi restituas sanitatem, ne turpiter cibos mendicem.* Laborabat autem manu dextera. Etsi homo solus, non mulier, vt vult Hippocrates, sit ἀμφιδέξιος, & ambidexter, vtraque tamen manus, est præcipuum agendi, & efficiendi instrumentum: ὄργανον ἀντιληπτικὸν, ὄργανον μεταβατικὸν, appre-

In Matth.

Quę parte laboraret ægrotus.

hensiuum,& flexile, organum ante organa· Galen. vocat. Tanta nobilitate prǽditum, vt soli homini Deus, manus dederit exporrectas belluis denegatas, quibus facilè persequatur quęcunque mens iusserit. 1. de vsu par. Fernel.

An verò manus nomine in isto laborante, totum brachium, & ab scapulis ad summos vsque digitos, anatomico more sit intelligendum, dictu non est facilè. Καὶ ἰδοὺ ἄνθρωπος ἦν τὴν χεῖρα ἔχων ξηράν. *Et ecce homo manum habens aridam.* χεὶρ Hippocrati, à scapulis ad digitos protenditur. Sic enim 2. de morbis, ait de morbo nigro, ἀπὸ τῶν χειρῶν τοῦ αἵματος ἀφιέναι. *De manibus sanguinem detrahito.* Ergò per manum, totum brachium intelligit. Sic manus Anatomicis consuetum est diuidere, in brachium, cubitum, & extremam manum. Quæ postrema pars, in carpum, metacarpum, & digitorum phalanges, est subdiuisa.

Vidit Galenus, vidimus & nos non semel, quos brachium, & vniuersam manum, quos partem manus, quos solos duos digitos, obsidebat siccitas, *Quid per manum intelligendum.*

contorquebat conuulſio, reſoluebat paralyſis. Atque in præſenti ægroto, totam manum cum brachio obſideri, multa ſunt quæ mihi perſuadent. Vt enim mox dicam de cauſis, non potuit non magna cauſa vrgeri homo mendicus, quæque in totum brachium graſſata ſit. Etenim ſi ſola extrema manus afficeretur, valente brachio, non prorſus ab opere abſtinuiſſet ille. Narratur autem ſola manus ab Euangeliſta, quæ oculis tantùm eſſet expoſita, cooperto brachio, & ab indufiis tecto. Ita vt dubitandum non ſit, totum & vniuerſum brachium dextrum fuiſſe ab hiſtoriæ Narratoribus intellectum.

Non ſolam manum, ſed totũ brachiũ in ægroto obſeſſum.

Obſidetur verò pars bicipiti morbo, Spaſmo nempè, & Atrophia. Vocat quidem manum aridam, emaciatam videlicet, & excarnem Euãgeliſta. Solam ergò receſſet atrophiam, & defectũ alimenti in manu. Sed verba Chriſti in miraculo, ἔκτεινον τὴν χεῖρα σου *Extende manum tuam.* Maximum vitium ἐν τάσει, in tenſione conſiſtere declarant. Laborabat ergò manus Cæmentarij

Quot morbis laboret ægrotus hic.

duplici morbo, Conuulſione, & Atrophia; quod à nemine adhuc ex interpretibus cogitatũ eſt. Eſt autem Conuulſio, perpetua neruorum, & muſculorum originem verſùs, retractio, quæ non niſi extenſione curatur. Quare Chriſtus. D. iubet in miraculo, quod operibus Medicis in Conuulſione cõſequi tentat ars. Atrophia verò eſt nutritionis error qua totum corpus, aut ſæpè pars quædam ſenſim abſumitur, & ob defectum alimenti, exareſcit. *Quid Cõuulſio.* *Quid Atrophia.*

Mutuò certè hi duo grauiſſimi affectus ad perniciem conſpirant. Obrigẽs pars, exhauſtis ſenſim venis, & arteriis, defraudatur alimento: vndè per inanitionem reſiccata, & arida facta, nõ poſſunt nõ eius nerui & muſculi obrigere, contrahi, contendi. Altiſſimas certè radices egerat affectio, in homine miſero: atque magna ſuſcitata cauſa, inuſta eſt parti intẽperies frigida, & ἔμφραξις in neruis. Quam ſi ab externis, & quæ ſunt Hipp. ἀπὸ τῶν ἔξωθεν quæramus, eã in externo aëre frigido reperiemus, ſed quàm maximè in rerum frigidarũ attactu, vt in cæmenti ex aqua, & *Incurabilem fuiſſe demonſtrat.*

luto confecti, assidua contrectatione, sic etiam & à capitis, & brachij nudatione inter operandum. Scribit enim Galen. Hippocratem in Officina præcepisse, ne suprà cubiti gibbum retractus esset amictus : idq; non tantùm quia turpe sit, Chirurgo operanti (de iis enim loquebatur Hippoc.) nudos habere cubitos : sed quia non tam partes circa cubitum, quàm totum etiam brachium refrigeret. Vndè certè consecutione quadam, & quasi contagio, frigida cerebro inuritur intemperies : sed maximè parti spinæ dorsi superiori, ex qua in brachium nerui, ad motum, & sensum, fruticantur, & descendunt. Quæ quidem partes suapte natura frigidæ, à fonte caloris nectarisque vitæ, corde nempè, remotissimæ congeneribus morbis, vt facilè prehenduntur, sic ab illis tandem firmato, factoque affectu, restant incurabiles.

An verò ex alto ceciderit Cæmentarius, & à casu contracta fuerit hæc grauis affectio. An affectus quidam magnus, vt Apoplexia præcesserit, ex

quo nata ſit clades tanta, non refert multùm intelligere. Nec enim abſens illa, quæque iam agere deſiit cauſa, Medicis ad curandum repetitur. Sat eſt ergò morbi in parte relicti, immedicabilem ſortem animo, & cogitatione perpendere. Quo certum ſit, miſerrimum Cæmentarium tanto tamque excellenti medico indiguiſſe.

Peroratio. Non potuit ergò Chriſte Deus, Chriſte bone, opera naturæ reſtaurari dextera manus arida, in pauperculo Cæmentario. Tu qui naturam rerum ſub dextera tenes, coërces, conſeruas & moderaris: Iunge dexteram dextræ, & omnipotentia tua, qui ad dexteram Dei ſedes, , dexteram hanc erige, vt dexterè operetur, dicereque poſſit, homo miſer. Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me, non moriar, ſed viuam, & narrabo opera Domini.

DE MVLIERE HAEMORROISSA, à Christo D. restituta.

ENARRATIO XII.

ET *ecce mulier* (ait D. Matth.) *in cap. 9. quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis : Accessit retrò. Et tetigit fimbriam vestimenti eius. Dicebat enim intrà se, si tantum tetigero fimbriam vestimenti eius, salua ero. At Iesus conuersus, & videns eam, dixit. Confide filia, fides tua saluam te fecit. Et salua facta est mulier, ex illa hora.* Addit. D. Marcus 5: *Et fuerat multùm perpessa à compluribus Medicis : Et erogauerat omnia sua : Nec quidquam profecerat, sed magis deteriùs habebat.* Idem narrat. D. Luc. in 7.

Mulieris Christo deuotæ, tam certa desperatio salutis est, quàm vera est illius historia : Exploret quis, ægrotæ naturam, patriam, tempus, ætatem, morbique conditionem omnem, omnia conspirant ad artis & Medicorum

iuſtam excuſationem, quandò illam curare non potuerunt.

Age igitur, Mulier hæc Martha non eſt, vt exiſtimabat D. Ambroſius. Incolit enim Martha Bethaniam, Hæmorrhoiſſa verò hæc, Cæſaream Philippi, quæ eſt in Decapoli, longè à Bethania, hæc enim in Iudæa eſt, illa in Galilæa. Hanc autem è Cæſarea eſſe oriundam, teſtatur elegans hiſtoria Euſebij, cum ait. *Dicunt hanc mulierem Panacæa quæ eſt Cæſarea Philippi vnde fuit oriunda, ſtatuiſſe triumphos inſignes, collati ſibi beneficij à Saluatore.* Erat autem ſtatua lapidea Chriſtũ D. repręſentãs, ad cuius pedes herbula erumpebat cuius atactu ſanabantur infirmi. Cognita ergò erat, mulier, diues, & famoſa, in Galilæa: Quæ tamen præ pudore non eſt auſa ingredi Capharnaum, ſed extrà vrbem cum immundis manſiſſe: non immeritò notat Abulenſis. Eijciebant enim de caſtris omnem leproſum, & fluentem ſemine, eademque de menſtruoſis ſancita lex.

Cuias ſit hæmorrhoiſſa.
Lib. de Salomone.
7. Eccleſiaſt. hiſt. c. 14.
D. Chriſoſt. apud D. Thõ. in 5. Marc.
q. 43. in Matt.
Num. 5.

Quoniam autem triplex mulieres

Quo fluxu laboret hæmorrhoiſſa. exercet fluor menſtruus vnus, in partu alter, tertius inordinatus. De quo cõquereretur mulier, non eſt admodum difficile cogitare. Miror Carthuſianũ, qui ſibi perſuaſit, hanc fuiſſe à naribus hæmorrhoiſſam. Cùm etenim nulla ſit hæmorragiæ narium fœditas, aut turpitudo, nunquam ab eo fluxu exploſas mulieres audiuimus. Nullus certè tunc fuiſſet timoris locús, atque vrbem eſſet ingreſſa mulier, & antè Chriſtum facilè prodiiſſet. At acceſſit retrò tremebunda mulier, & occultè tangens fimbriam veſtimenti, ſalutem quærit à Chriſto, quia immunda mulier, non auſa eſt ampliùs ſe dare in apertum.

Minùs erat hæmorrhoiſſa, à venarum hæmorrhoidaliũ quæ ſedẽ perreptant defluxu, non enim tanti momẽti fluxus eſt, nec tam aſſuetus mulieribus, aut importunus, & meticuloſus, quàm ab vtero. Quacũque enim ratione præter modum, aut parciùs, aut vberiùs ab vtero fluxus fiat, morbos eoſque graues cõtingere narrant Hipp. & Galen. (Aph. 57. 5.) Non erãt etiam lochia, & à partu reſti-

bilia purgamenta : illam enim anteà concepiſſe, aut non incertum eſt. Vrgebat ergò ρὖς τῆς ὑστέρας, fluxus muliebris, importunus, & odioſus : cuiuſque iniuria mulieres, vitæ conditionem ſibi acerbam putant, & amariſſimam, infimamque naturæ ſortem dedignantur.

Sed iam ita percepta & intellecta morbi ſpecie, audio in primis quæ in Medicos protrudunt multi ex Euangelio. *Et fuerat multùm perpeſſa à compluribus Medicis. Et erogauerant omnia ſua, nec quicquam profecerat.* Hoc (ſi in errorem Medicorum ſit retorquendum) in Pſeudomedicos crudeles, & auaros dictum puta. Non enim Euangeliſtæ piiſſimi medicos contemnunt, quos Deus honorare præcipit. Medicos inquam, qui fama, nomine, & opere (vt loquitur bonus Medicus Hippocrates) artem à Deo mortalibus ſumma beneficientia conceſſam, profitentur, & in quos præfata Euangelij verba quadrare minimè queunt. Hos enim vbique humanos, modeſtos, iucundos, ſagaces, prudentes, benè

In artis Medicæ calumniatores.

Vide Gal tom. 4. in 6. Epid. & in method.

operantis naturæ imitatores, & futura præuidentes, citò, tutò, & iucundè, curantes præceperunt veræ, & sapientis Medicinæ cultores, Hippocrates, & Galenus. A quibus & sancita lex est, vt Medici in exigenda mercede acerbitatem deponant, sintque vbique Mercurio artium cultori addicti, nec temeritati fortunæ, & auaritiæ se committant. Sunt equidem fateor Medici, (vt ait Hippocratres) opere pauci, fama & nomine multi. Sunt & impostores, agirtæ, fumiuenduli, tortores, & tyrannicidæ infiniti, qui vanis pollicitationibus, credulos, & plebeculam miserè ludificant, ac muliercularum loculos exhauriunt. In quos iure & meritò retorqueas. *Et fuit multum perpessa à compluribus Medicis, & erogauerat sua, nec quidquam profecerat.*

Lib. de præcept.

Lib. de lege.

Conuocati tamen qui ad fidentem istam mulierem fuerint boni, & sapientes Medici, multis de causis excusari possunt, si minimè voti compotes, eam non curauerint. Tria etenim sunt quæ curam morbi cuiusdam aggredi, vetãt Medicis.

Medicis. Primum eſt, cum ægrotus Medici præceptis non obtemperat, aut Sapienti Medico non fidit, imprudenti & temerario ſe committit. Imperent Medici ægrotantibus tanquam duces militibus, ait Galenus, Non potuit curari mulier hæmorrhoiſſa? noluit fortè curari delicatula Medicis nõ exercitata remediis. Quis neſcit mulieres moroſas, & palato ſtudentes? Aut vult citò curari, in chronico longoque morbo: Diuitum more, qui confiſi bonis, & auro, quod à prȩuidenti Medico citò non obtinent, citiſſimi quȩrunt à temerario, & vano pollicitatore. Malum certè conſilium experiuntur cõſultori peſſimum, ſed hos miſſos faciamus, tanquam conſilij inopes, adeamus alterum.

Tria quæ curam alicuius morbi interpellāt, in hæmorrhoiſſa reperiuntur.

Secundũ ergò, quod curam alicuius morbi interpellat, eſt, cùm morbus tota ſua natura incurabilis eſt: Sic Hipp. cancros non curat: Curati enim ab iis citiùs pereunt, non curati diutiùs protrahunt vitam. Tertium & poſtremum eſt, ſi curâ illius morbi, peiorem inuehi expertum ſit. Hoc poſtremum in

Aphor. 38. 6.

Hanc hæmorrhoissam incurabilem demonstrat.

noſtra hæmorrhoiſſa, alterum incuſcat. Etenim initio hyſterici fluxus, tuta non erat illius ſuppreſſio. Vires enim mulieris, ætas quæ iuuẽtus eſt, in qua mulier muliereſcere valet, vitæ illius conditio luculenter demonſtrant illam eo fluxu initio laboraſſe à plenitudine ſanguinis, eius tenuitate, & caliditate, cum apertione venarum vteri, reſeratis vaſorum oris per anaſtomoſin aut rexin. Minitatur Hippoc. ſananti hæmorrhoidas antiquas, niſi vna ſuperſit. Sic & importunè repreſſo mulierum fluxu, non ne ſanguis reſtagnat vlcera, tumores, ſcirrhos, cancros, ſyncopes, conuulſiones, vertigines, hydropas generaturus?


Sed vbi iam ſiſtendus fuit, ſummiſſa omni ſanguinis plenitudine, eius repreſſioni, refrigerationi & incraſſationi obſtitit prorsùs, loci temperies, eius victus ratio, & vitæ conditio. Videas loci temperiem æſtuantem, & feruidam, intuere incolarum Ceſareæ complectiones melancholicas, & Galilæorum bilioſos mores, in quibus dum chronici generantur morbi, quid

aliud nanciſcũtur, præter ferini humoris, & exuſti, immedicabilem cacoëtiã? Impuritas adeſt viſcerum, cacochymia in toto illuſtris, ardet bilis, tenuatur ſanguis, aperiuntur, erroduntur vaſa: Accurrunt ad fomitem mali inquietæ mulieris, inconſtans & inæqualis aër, victus ratio plenior, fortéque intemperantior: multa fiunt præpoſterè, multa mutantur inconſtanter, indè malum vires acquirit eundo, increſcit, ad remedia exaſperatur, deſperatur tãdem de illorum vſu. Quis vel Æſculapius his mederetur? *Non eſt in Medico ſemper releuetur vt æger.* Υγιέας μὲν ποιέειν ἅπαντας τοὺς ἀσθενέοντας ἀδύνατον. Sanos quidem reddere omnes ægrotos impoſſibile dictat natura cum Hippocrate. In his ergò prædictione, & prouidẽtia vtendum conſulit, ne videamur occidiſſe, quem morbi magnitudo, aut malignitas ipſa peremit. 1. Prog.

Sed tu Domine! qui pro deuoto fœmineo ſexu te implorante, in neceſſariis non deficis, in vrgentibus præſto es fidentis hodie mulieris, magno affectu remuneras fidem. Et vt maris *Peroratio.*

rubri feruidos, & exundantes æstus, fluctusque terminasti quondam ac dispersisti: vt currentis solis equos refrænasti, ac in medio diei decursu remoratus es: ita turgentis, ac decurrentis muliebris defluxus, potens Neptunus temperas æquor. Et perituræ animum Medice cœlestis erigis, & addis verbo planè cardiaco. *Confide filia.* O fœlicissima mulier! Non corporis elegantia, non bonorum affluentia, non amici, non Medici, sed fides tua saluam te fecit. Qui ergò confidit in Domino, sicut mons Sion non commouebitur in æternum.

Laus tibi Christe Medice cœlestis.



SECVNDA PARS OPERIS.

MEDICÆ ARTIS PRINCIPIA AD PROPOSITORVM ægrotantium & morborum intelligentiam necessaria explicantur.

PRÆFATIO.



VLGARIS illa sententia, *Vbi desinit Physicus, ibi incipit Medicus*; falsa est, si de theorico Medicinæ principio intelligatur. Cũ enim è gremio Philosophiæ pullulent scientiæ & artes: sitque Philosophia artium & scientiarum mater, & domina, certum est apud illam cognitionis, & effectionis omnis, detineri principia. Illamque pro tribunali in omnium artium, & scientiarum prouin-

ciam,ius dicere. Ab elementis,& temperamentis corporis noſtri incipit ars Medica. An in elementis quieuit, finemque fecit Philoſophia? Certè Phyſica, cui ſubalterna eſt Medicina, de elementis rerum ediſſerit, naturaſque animalium omnium exquiſitè rimatur, & inueſtigat, quibus imbutus Phyſicus, facilè ad Medicinæ cognitionem deſcendit: Ea enim ſolam hominis ſalutem nititur conſeruare, aut eius arcere imminentes morbos, factoſque debellare. Quid aliud inſinuat diuinus artis præceptor, cùm Medicum φιλόσοφον ἰσόθεον appellitat? Quid Galenus Æſclepiadeæ doctrinæ diligētiſſimus meſſor? Illo demonſtrat aureo libello ὅτι ἄριστος ἰατρὸς, καὶ φιλόσοφος. Vt igitur Plato imperitos rerum Geometricarum arcebat à ſchola: ſic has Medicinæ fores nullus Philoſophiæ ingrediatur ignarus. Medicinæ certè principia tanquam riuuli è Philoſophiæ naturalis vberrimo fonte ſcaturiunt. Et quicquid eſt in rerum naturalium, nonnaturalium, & præter naturam,contemplatione ad vſum artis,

omnia habet Medicus, quia vir Philosophus eſt. Et eò loci ſpartam adornat, proprioque fungitur munere, cũ corpore humano adamuſſim cognito, vel eius naturalia conſeruat, & ſanitatem tuetur aut morbos fugat, & ea demolitur, quæ ſaluti officiunt, & incommodant. Excellit & ille artificioſa & ἀκριβεῖ coniectura, quæ quantùm in diſcendo valet à ſigno demonſtratio, tantùm ille penitiores rei naturas explorat, & inquirit. Medicinæ autem principia, & præcepta, quinque partibus continentur. Phyſiologia prima eſt de rebus naturalibus, ex quibus aut compoſitum eſt corpus, aut effectum. Effectiua principia ſunt, ſemen vtriuſque parentis, & ſanguis menſtruus. Conſtitutiua autem, elementa, temperamenta, humores, corporis partes, in quibus ſunt facultates, & ab iis functiones, & opera. Secunda pars ὑγιεινὴ, ſeu de ſanitate, quæ res vulgò dictas non naturales, modò homini ſalubres, modò aduerſas, explicat. Eæ autem ſunt, Aër, cibus & potus, ſomnus & vigilia, excreta & retenta, exercitationes

& animi pathemata. Adde quæ ἔξωθεν & deforis occurſant. Tertia eſt παθολογική, quæ de rebus contra naturam, morbo, cauſa & ſymptomate, ediſſerit. Quarta eſt de ſignis σημειωτική. Poſtrema de morborum curatione θεραπεία. Nos igitur in gratiam eorum, quos aut pietas & Chriſti deuotio, ad vim miraculi in deploratis ægrotis ritè percipiendam, aut rei Medicæ ſtudium, ad intelligendos morbos allicit: breui faciliq́ue ſtylo, ex ſingulis Medicinæ partibus, pauca, ſed puriora, delibare tentamus. Quo demùm ſit inſtituti noſtri ratio luculentior, nec aliquid in tam celebri, pioq́ue ſubiecto deſiderari poſſit.

DE EFFECTIVO CORPORIS nostri principio, semine vtriusque parentis, & hominis conformatione, ex Physiologia Medica.

ENARRATIO I.


B effectiuo corporis nostri principio, semine vtriusque parentis, enarrationum nostrarum ducimus exordium. Homine enim de limo terræ primùm edito, fuit creatoris edictum, vt vnumquodque creatum, semine suo pullularet, & propagaretur. Constabat autem terrena illa hominis materia, quatuor elementis, igne, aëre, aqua, terra, quæ certa crasi & temperie, in hominis corpore conuenerunt. Semine ergò propagatur rerum species, viuit pater in filio, & quod de æterno in indiuiduo mancum est, resarcit rerum continuata γένεσις, καὶ φθορά. *Generationis nostræ ratio.*

Semen totius hominis, & partium *De semine & sanguine mẽstruo.*

corporis Ideam, in ſe continet: ſemen omnium corporis partium ſtamina defert. A ſemine fiunt partes, augeſcunt, & perfectionem nanciſcuntur ſuam. Accedit maternus ſanguis, quem prouida natura copioſum indidit mulieribus, vt indè fœtui conueniens alimentum in vtero, & extrà vterum ad dentitionis vſque tempus, pararetur. Senſibilia ergò hominis principia ſunt, ſemen & ſanguis. De quibus paucula præmiſimus, vt deinceps morbos ex proſapia, tanquam ex traduce, hæreditarios fieri, à ſemine & materno ſanguine: noſque vt poſſeſſionum, ſic morborum fieri hęredes intelligeremus: ſunt autem hęreditario iure acquiſiti morbi, quorum caracter, in partium ſimilarium maximeque nobilium, quæ à ſemine prodeunt, ſubſtantia relictus eſt. Qualis in cerebro eſt morbus ſacer, in pectore Tabes, in hepate Hydrops, in articulis Podagra. De quibus ſic Hipp. τὸν γὰρ ξυγγονέα τουτέων τῶν νοσημάτων ἔστιν εἰδέναι δυσαπάλλακτον ἐόντα, hoc eſt. *Qui hos morbos habet hæreditarios, is ægrè ab ipſis liberari poteſt.*

De morbis hęreditariis.

2. porrh.

Lib. de aëre aquir. loc.

Sicque alio loco concludit. *A sanis sanum, à morbidis morbosum, prodit semen. Et ex caluis calui, ex cæsiis cæsij, ex claudis claudi generantur.*

Semen ergò in vtroque parente, à toto corpore fit deciduum. Totius corporis abstractum vocabat Democritus. Purissimi sanguinis spumam Pythagoras. Et defluit ἀπὸ παντὸς τοῦ ὑγροῦ ἐν σώματι ἐόντος *ab omni humido, quod est in corpore*, ait Hippocrates. Vndè vim, & energiam omnem, ad morborum in gnatos propagationẽ, bibit semen. Magnam & vim habet maternus sanguis in generatione, & nutricatu fœtus. Quantitate autem vbique excedit in muliere: Atque naturæ deliberatione, si nulla sit excusatio grauiditatis, aut morbi singulis mensibus excerni debet, alioqui sana non est mulier. Eius est πλημμυρὶς, καὶ ἄμπωτις, qualis est in Oceano fluxus, & refluxus. Non habet mulier quò transmittat hoc naturale excretum, vt cæterorum animalium fœmellæ, quæ abundãtes sanguinis copias, in plumas, pilos, vngues, squammas regerunt, & aman-

Semen à toto deciduum.

lib. de Genitura.

De Menstruo.

dant. Figmenta ſunt, quæ de menſtruo edidit Plinius. Cùm ait *Aceſcunt ſuperuentu muſta, ſterileſcunt tactæ fruges, moriuntur inſita, exuruntur hortorum germina, & fructus arborum quibus inſedere decidunt: ſpeculorum fulgor aſpectu ipſo hebetatur, acies ferri præſtringitur; eboriſque nitor, aluei apum emoriuntur: æs etiam ac ferrum rubigo protinus corripit, odorq́; dirus aëra, & in rabiem vertuntur guſtato eo canes; atque inſanabili veneno morſus inficitur.* Hæc Plinius. Menſtruales etiam mulieres, aiunt, ſi concipiant, partus edere in Elephantiaſim procliues. Quod verum eſt, ſi Elephantica, & Leproſa mulier, partum ſuſceperit. Alioqui ſi ſana ſit mulier, ab omni labe immunem ſanguinem habere; dictat naturalis ratio. Cùm ſanguis illi præſens ſit in vtero, & futurum extrà vterum fœtui alimẽtum. *Procedit autem ſanguis* (ait Hipp.) *velut à victima, ſi ſana eſt, & ſana futura eſt mulier, ſtatim congelatur.* Decebat certè temperatiſſimum animal & temperatorum animantium regulam futurũ, puriſſimo ſanguine victitare: ne per

Lib. de nat. pueri.

reliquum vitæ tempus, primo & radicali cibo inquinatū, & intemperatū, sordesceret.

Dum interim hominis generationē mente peruoluo, mouet me patientissimi Iobi ectasis, qui calamitoso opprobrio, à superciliosa muliere perculsus, miserculam sui generationem, nō quidem exprobrat, sed misellus Deo obijcit. *Manus tuæ Domine*, ait ille, *fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu. Memento quæso, quod sicut lutum feceris me. Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti? Pelle & carnibus vestisti me, ossibus & neruis compegisti me.* O diuina conformationis nostræ Philosophia! ô ineffabilis fœtus humani anatome! Interpretor sic diuini Iobi physiologon. Conformatrix diuina vis quæ in semine residet, symbolū & idolum generantis, Chalcodea quæ à Ioue est, Sol qui cuncta videt, qui cuncta facit, qui vbique ludit etiam in sterquilinio. Et apes ex Tauro, Scarabeos ex Asino, vespas ex equo, Pulices, Vermes, ex sudore prolicit: Et hominē de luto Iobus ait, *Sentētiæ Iobi explicatio.*

Conceptus nostri in vtero matris, ratio. Hipp. lib. de nat.pueri. Galen. 1. de ſanit.tuend.

hoc eſt de vtriuſque parentis ſemine, quod reuera lutũ, quia hominis excremẽtum eſt. Vtriuſque ergò parentis ſemen in materno generationis campo ſimul conceptum, vnum fit, & amborum exurgit vis vnica. Partes ſeminis, quæ diuerſi generis, & heterogeneæ ſunt, diſtrahuntur, partes calidiores, tenuiores, ſpirituoſæ, intùs ſe recipiunt: craſſæ & terrenæ, illas exteriùs ambiunt, & obuallant, indeque membranæ fœtum ambientes ſecundinæ dictæ, formantur. Ita Domine *ſicut lac mulſiſti me & ſicut caſeum me coagulaſti.*

Confirmationis noſtræ ratio.

Elucent deindè intùs partium ſimilarium rudimenta prima, & cùm geniturae maternus affunditur ſanguis, carnea moles ſenſim conſurgit. Ac tandem vbi fœtus abſoluitur, cerebri cordis & iecoris, fit conſpicua ſedes, & partes vbique formatæ ſunt. Ita Domine *pelle & carnibus veſtiſti me, oſsibus & neruis compegiſti me.* Ad perfectam τύπωσιν, & conformationem iſtam, venit genitura quadraginta duorum dierum ſpatio, paulò longiùs aut breuiùs. Breuiſſimum tempus eſt triginta

dies in masculo, in fęmina triginta sex. *Triginta soles fœtum formant*, ait Hipp. *septuaginta mouent*, *ducentum nouemdecim perficiunt*. Conformationis ergò motus, & partus, hanc omnes ducunt proportionem. Tempus motus duplum ad conformationem, triplum motus ad partum. Absoluta ergò conformatione trigesimo quinto, bis tanto mouet, hoc est septuaginta diebus: & & ter tanto deinde completis, hoc est ter septuaginta diebus, prodit in lucem quod erat in vtero. Vetus est illud Hippocratis. *Labores partuum, certis quibusdam periodis absoluuntur. Quicunque enim mouetur septuaginta diebus, triplicatione perficitur.* Idest centum decem diebus, qui septimestrem partum constituunt, eumque vitalem, qualem iuris antecessores ob magni Hippoc. authoritatem receperunt Cùm autem antè trigesimũ quintũ non est descripta, τυπωσις, & expressa conformatio. Non antè puer in vtero mouebitur, quàm eius temporis duplicatio nonagesimum diem attigerit. Ex quo inita triplicatione partum edet, mensibus

lib. de Alimẽto.

Motus & partus quando contingat.

2 Epid. sec. 3. Galen. in lib. Hipp. de sept. partu.

lib. 7. Mense ff. de stat. homin.

nouem exactis. Hæc sunt tempestiua humani partus tempora, hæc illius meta, & carceris limen. Octauo mense proditus vitalis non est: ad vndecimum vsque, Aristoteli placet, Hippocrati visum. Ad decimum quartum, vt voluit Auicenna, insolens admodùm & suspiciosum, si non suspectum.

DE PRIMO CONSTITVTIVO corporis principio Temperie, & illius differentiis.

ENARRATIO II.



RIMVM corporis nostri constitutiuum principium est temperies. Et temperies est agendorum in Medicina regula prima. A temperie deflectit homo in morbis, ad temperiem reducere tentat Medicus cum remediis. Non quidem ab elementis mũdi incipit ars, sed à corporis elementis, quæ sincera non esse in corpore astruit Galenus. Sed omnis nostra natura, vt ait Hipp.

A quo sit in arte Medica incoandum.

1. de Element.

Hipp. temperie,& elementorum symmetria constat. A temperamentis ergò incipiendum est Medico. Et temperata natura, vt ait Galenus, cæterarum omnium prima est, virtute, potentia,& cognitionis ordine. Lib. de Nat. humana. 1. de temper.

Medicis autem iure potest definiri temperamentũ, *mixti corporis forma, ex quatuor primis qualitatibus cõstituta*. Dicitur *mixtorũ forma*, non quidem vt mixta corpora naturalia sunt, hoc enim planè habent à forma substantiali, sed vt sunt mixta, hoc enim habent ab elementis, nempè ab eorum qualitatibus. Quod si Medici nomine formæ abutuntur, id artis naturæ referendum: cui minimè formale principium inest quod illis sit ad vsum, sed solùm sensuale, & αἰσθητὸν: sunt enim Medicinæ artifices sensitiui. Ignota certè Medicis anima non est, sed & illis cum Philosophis, est actus primus & corporis forma. At ad artis vsum cùm parum faciat animæ cognitio, ab instrumento, quo anima ad agendum vtitur, nempè temperie, incipit Medicus, nec altiùs conscendere iubet ars. Morti quidem *Quid temperamentum.* *Cur Medicus incipiat artẽ à temperie.*

& extinctioni, subiecta est elementaris corporis forma, dum corpus nempè dissoluitur. At substantialis corporis forma Anima, dum nec essentiam, nec existentiam capit à corpore, immortalis certò est, & æterna.

Sors tua mortalis, non est mortale quod optas,

Quis tam hebes, quis tam ignauè Physicus, temperiem diceret, animæ nostræ esse substantiam? securim esse ipsissimam manum artificis, aut manum animam eius? Sed quoniam fabro, cognitio nõ manus sed securis necessaria est: Ita rei Medicæ studiosus, posthabita animæ cognitione, ad temperiem humani corporis diuertit. Sed ad rem.

Temperamentorum differentiæ, quæ maximè prȩuidendæ sunt nobis, ex Philosophorum & Galeni doctrina, nouem sunt. Vnum enim in primis datur temperamentum, quod cæterorum est regula, & veluti Polycleti norma: quicquid enim ab isto deflectit, intemperatum iudicatur. De hoc iterùm sciendum est. Illud dupliciter cõsiderari. Vel scilicet in vniuersa rerum

Lib. 1 de Temperament. *De temperamento ad põdus.*

ſubſtantia, vel in ſingulis ſpeciebus mixtorum. Cùm enim quatuor elementa in mixto, pondere, mole, & magnitudine, æqaulia cõcurrunt, temperamentum naſcitur ἔυκρατον, benè temperatum, & ad pondus latinis dictum. Quod dicitur quidem in vniuerſa rerum ſubſtantia, ſed vt altera Platonis idea, potiùs mente & cogitatione quã ſit reuera: vtilè tamẽ, & animo meditandũ, vt in cæterorũ cognitione ſupponatur tanquam rectum ad obliqui cognitionẽ, & vt regula prima.

De temperamento ad iuſtitiam.

In ſingulis autem rerum ſpeciebus, ſeu in quolibet mixto, licet ἔυκρατον, reperire & temperatum in quo ſit nempè ea moderatio, mediocritas, & temperies elementorum, quæ cuiuſque animalis naturæ maximè conueniat. Hanc vocant artis proceres temperiem ad iuſtitiam, quæ non pondere, aut mole, ſed virtute & energia ęſtimetur. Atque ex hac vltima temperie ad iuſtitiam, ac ſi cœlum ſingulis animãtibus ſuum cuique tribuiſſet: tam diuerſæ hominum, & animalium naturæ, tamque diuerſi eorum mores, re-

ſultant. Verùm enim eſt, & mores, & perturbationes animi, corporũ diſpoſitiones & temperiem imitari, niſi Philoſophia, & recta ratione regantur à nobis, moderenturque. Naturaliter ergò Equus velox natura ſua eſt, ἵπποι ἐλαφρότατοι θείειν, καὶ κάρτος ἄριστοι. Equi celerrimi currendo, & robore fortiſſimi, Homero. Leones aut immanes, & καρτερώνυχες, prævalidis vnguibus. Homo manſuetus, prudens amicorum amans, Galeno.

Odyſſ. γ.

Odyſſ. κ.

2. de temp.

De intemperamentis.

Quandò autem temperamentum ab ea mediocritate, quæ ad iuſtitiam dicta eſt, deflectit: certè tunc in vnaquaque ſpecie, fit intemperatum. Et tunc ab ea qualitate quæ maximè in mixto ſuperat, denominatur mixtum. Vt in quo calor frigori præcellit, calidum dicitur, ſicque de aliis in calido, frigido, humido, & ſicco. In ſingulis ergò rerum generibus, ab exceſſu qualitatis prædominãtis, quatuor fiunt ſimplicia temperamenta, calidum, frigidum, humidum, ſiccum. Quatuor itidem compoſita, calidum humidum, calidum ſiccum, frigidum humidum,

frigidum ſiccum. Quod ita tamen accipiendum eſt, vt gratia exempli, in mixto calido, ſeu in quo dominatur qualitas calida, cæteræ qualitates in eodem mixto mediocriter ſe habeant. Ita intemperies ſe habet in mixto, & ita mixtum, etſi in exceſſu ſit, æquale tamen & temperatum in ſuo genere dici debet. Leo calidiſſimus animalium eſt, temperatus tamen in ſuo genere. Tale etenim vnicuique animanti pro ſua ſorte, ingenitum, innatum, & naturale temperamentum ineſt. *Temperamẽtum innatũ.*

Atque cùm ab eo partes corporis noſtri dimanent, & conſtent eo, ad poſtremam vitæ periodum tale temperamentum nobiſcum manet, & perennat. Eſt enim ex traduce & à ſemine, quod quidem alterari poteſt, mutari nunquam in integrum, & abſolutè. Alteratur autem à rebus externis, ætate, aëre, victus ratione & vitæ conditione. Vt enim ætas teſtudineo paſſu, ſic ferè aër ſubitò nos immutat, victuſque ratio diuerſa ſenſim addit ad mutationem. Qui creſcunt, ait Hipp. habent τὸ θερμὸν πλεῖστον τὸ ἔμφυτον. Pluri- *Temperamentum innatum non mutari ſed alterari.*

mùm habent calidi natiui. Plurimo ergò egent alimento, alioqui corpus absumitur. Senibus verò parùm calidi inest, γέρουσι δὲ ὀλίγον τὸ θερμόν. Paucis ergo fomitibus egènt, cùm à multis extinguãtur. Sic qui à prima constitutione natiuo sunt temperamento frigido, dum ad aërem calidiorem diuertunt, indulgentque vino & cibis calidioribus, haud cunctanter fiunt biliosi, totoque calent temperamento: non insito quidem quod frigidum est, sed ascititio quod est calidum factum. Sic & mulieres frigidæ natura, copiam bilis exaggerant, tum à corporis densitate, quæ fuliginosa excrementa intùs detinet, tùm à victus ratione, cum salsis, & calidis cibis victitant, & ab otio cùm in domibus & aëre vmbratili detinentur. Sic apud Galenum Paulus Rhetor, qui corporis habitu & temperie pituitosus erat, bilem copiosiorem eructabat factusque est, πικρόχολος ἄνω.

De mutatione innati temperamenti.

Mulieres curtiant biliosæ.

Paulus Rhetor.

Hac igitur ratione temperamentum natura insitum, casu & euentu diuerso mutatur. Ne autem temperamenti, &

humorum diuersa nomenclatura intricet, Galeno placet humorum nomina temperamentis accommodare. Sic tẽperamentum calidum & humidũ sanguineũ appellitat, calidum siccum biliosum, frigidum humidum pituitosum, frigidũ siccum melancholicum. Quod multis difficile visum est, cùm temperamentum, non ex humorũ, sed ex qualitatum proportione resultet. Dicendum tamen, ita posse ab humoribus temperamentum denominari, cùm talis succedat humorum constitutio, quale à primordiis vitæ, est solidarum corporis partium natiuum temperamentum. Vt enim temperamentum natiuum est, sic & humores congeniti sunt. Calido enim & sicco (verbi gratia) temperamento qui sunt à natura, congenitos habent biliosos humores, & suapte natura biliosi sunt. Dico à natura, ne decipiamur in acquisito tẽperamento. Sic senes à natura sicci, temperamento tamen ascititio fiunt pituitosi, & humidis abundant excrementis.

An temperamentum nomine humoris vocari possit.

calidum vocamus immortale esse, & cuncta intelligere, & videre, & audire, & scire omnia, tum præsentia, tum futura. Quid expressius? Quid enim calidũ illud quod cuncta intelligit, & videt, præter ἐντελέχειαν corporis organici esset? Vera quidem sententia, & ita probata multis, vt & Galenum probè de anima nostra sensisse existiment, cùm non semel animam vocet ipsum calidum natiuum. Esto igitur cum anima nostra, aut calor natiuus, aut spiritus, aut temperamentum Medicis dicitur: nomine instrumenti præcipui, ipsamet anima designatur, nec absurdum sentio. Mihi tamen vera & pia credenti, nusquam calor natiuus, & temperamẽtum, anima dicetur.

Nemesius.

Calidum nostrum natiuũ non esse cœleste probat.

Vt nec mihi vnquam persuasi calidum illud naturale quo viuimus, pure cœleste esse, & prorsùs specifica differẽtia ab elemẽtari & temperamẽto quod in nobis est, & quo nos constamus alienum. Omne etenim viuens calidum est, & Salamandra animal, & Mandragora herba, calore viuunt, & à calore vitam ducunt, qui viribus &

energia, cœteris qualitatibus in mixtione præpollet. Comparata tamen illa Leoni animali, & gummi Euphorbio, aut calci, frigida sunt toto temperamento. Negamus deindè nostro calori natiuo non aduersari frigus. In frigidis enim temporibus & regionibus, extincto calore à frigido, animalia moriuntur, vt Insecta, & Aues, quibus innatus calor paucus est, & substantia corporis minimè robusta. Moriuntur & homines à frigido per hyemem ingenti, quod in bello & exercitu Romanis, & Gallis sæpè, multoties Germanis & frigidis in regionibus obseruatum. Imò cùm & à febribus perit homo, cor illi antè mortem frigere Galenus asserit. Sed cùm calor mixtionem commoueat & efficiat quæ ratio poterit esse mixtionis, si calor non est ab elementis? Descendat ergò è cœlo necesse est. At cœlum ex Aristotelis sententia, est improportionatum elementis, nec communicat in materia, sed est ἀσύγκριτον. Cœlorum enim materia loco mobilis est, non mutabilis vt illa elementorum, nec adiunctam

In 6. Epid.

habet priuationem. Qua ergò ratione poterit cum elementis miſceri forma illa cœleſtis caloris? *Eſt ex neceſſitate quidem contiguus iſte mundus ſuperioribus lationibus, vt omnis ipſius virtus indè gubernetur*, ait Ariſtoteles. Quia nempè immixtum cœlum vt efficiens energiticos, non vt forma aut materia, vt externum, non internum principium concurrit ad mixtum. Ea igitur ratione, & Philoſophiæ moderamine, calor noſter internus (quem ſuis verbis vocat Hippocrates ἔμφυτον θερμόν) cœleſtis nuncupari poteſt. Tale eſt iſtud Aſtronomorum. *Cauſæ agentes ſequuntur Solem, materiæ Lunam, fœcunditas cauſarum agentium Iouem, fœcunditas materierum Venerem, velox expeditio ad effectum propter vehementem calorem à Marte, & propter virtutem multiplicem Mercurium, & cunctarum continuatio permanens ſequitur Saturnum.*

1. Metheor.

De humido radicali.

Cæterùm verum non ſolùm eſt, quod ait Hippocrates, calidum frigido moderato nutriri, hoc eſt, temperari: ſed etiam humido ſui pabulo delectari, fouerique. Sic longioris, aut bre-

uioris vitæ, duas aſſignabat cauſas Ariſtoteles. Quantum nempè, & quale. Quia non ſolùm copiam humidi neceſſariam dicit, ſed & vt calidum neque facile gelabile, neque facile reſiccabile ſit, ἔυπηκτον ϗ ἐνξήραντον vocat. Nec aliud eſt quod aſtruit Galenus, ſubſtantiam innati caloris aëream eſſe, & aqueam. Aquea, inquam hoc eſt, non frigida, tenuis, aut fluens vt aqua, ſed humida vt aqua, verùm calidi & humidi pinguis, & aërei, ac oleaginoſi multum in ſe continens. Ab hiſce ſuccedit ſpiritus ætherea & tenuis ſubſtantia, caloris natiui vehiculum, & delator, quique eſſentiam calidi natiui abſoluit. Vnde doctiſſimo Fernelio, calidum innatum eſt humidum primigenium, inſito ſpiritu, & calore vndiquè perfuſum.

1. Aph. com. 14.

De Spiritu.

In Phiſiologia

Triade ergò illa, humido primigenio, ſpiritu, & calore, partes noſtri corporis conſtare, ſic meditamur. Viuimus calore illo innato viuifico, humido temperato & ſubſtãtiali, quibus partes corporis pro rata portione, vna cũ elementorum craſi, diuerſam molem ſuſtinẽt &

Superiorum epilogus.

adeptæ ſunt. Accedit ſpiritus humoris illius & caloris ſoboles, quo & eſſe partis & illius vita abſoluitur. In quibus anima, perfectio, & complementum totius noſtræ naturæ diuerſatur. Vires autèm animæ noſtræ, facultates appellamus. Effectrix enim quæpiam cauſa facultas eſt Galeno, ſita in proprio partium corporis temperamento. Indè trium maximarum partium varietate, animæ facultates ſe produnt, naturalis ab hepate, vitalis à corde, à cerebro animalis.

Quibus vita noſtra conſeruetur.

Iam vt quæ in partium conſtitutione innata, & ſingona diximus, à prima vitę periodo ad extremum ſenium conſeruentur, cibo, potu, & aëre indigemus. Ita ſolidam ſubſtantiam cibo, humidam potu, ſpirituoſam aëre conſeruari, concors eſt Medicorum ſententia. Hæc ergò humorum corporis ab alimento ratio, hinc indè ſpiritus, & calor à partibus præcipuis influens, vt infixos in partibus, ſi non augeant & amplificent, ſaltem conſeruent, & analoga quadam nutritione reparent. Vetus eſt illud Hippocratis. Princi-

lib. de Vtilit. reſpir.

pium alimenti ſpiritus, os, nares, guttur pulmo, & alia reſpirationis organa.

DE TEMPERAMENTIS SINgularum corporis partium, & adnexorum.

ENARRATIO IIII.

De corpore æqualiter & inæqualiter intemperato.



Etat Galen. ne ex vnica corporis parte, de totius temperaméto pronuntiemus. Corpus enim aut æqualiter intemperatum eſt, aut inæqualiter. In inæquali intemperamento, ſingulis in partibus notanda eſt temperamenti diuerſitas. At in æquali, tres partes præcipuæ, Cerebrum, Cor, Iecur, quia conformes, totius corporis temperamentum ferè expromunt, & exhibent.

1. de Temperament.

Ita cùm omnium temperies ad vnum concentum conſpirat: ex habitu corporis qui ex illa temperie reſultat, & ex colore, charactere, & mole, de totius corporis ſtatu & temperamento pronuntiandum. Habitum autem cor-

poris inuestigamus, in crassitie, in gracilitate, venarum latitudine, & tenuitate.

Calidi temperaměti signa. Sic qui temperamento sunt calido, carnoso bono habitu, & suaui præditi: venas habent latas, molles si humidi, duras si sicci: pilosum ventrem, minùs in humido, plùs in sicco. *Frigidi signa.* Frigidi verò qui sunt, venas habent tenues, suntque macri si sicci sunt, adiposi si humidi, in colore pallent, aut liuent. Atque ita de temperamentis in cerebro, corde, hepateque rimandum. Quæ Galeni philosophica meditatio est in lib. Artis paruæ. *Crytirion tẽperamenti relatione fit.* Quoniam autem temperamenti partium corporis critirion iudiciumque fit, relatione partium inter se: Pars quædam corporis temperatior exhibenda est, quæ cæterarum regula sit, & ad cuius comparationem reliquarum partium temperies inuestigetur. *Quæ pars corporis reliquarũ norma sit.* Summus artis dictator Galenus exhibet nobis temperatam volæ manus cutem, aut quæ in acinis digitorum est: Ad quam initâ comparatione, de reliquarum corporis partium temperie iudicat, hâc ferè serie.

Cute

Cute magis calet simplex caro, deinde magis renes, deinde lien, iecur; magis adhuc sanguis, ac flaua bilis, sed maximè spiritus & cor. Cute autem magis in frigidum deuergit adeps, magis cerebrum, deinde spinæ medulla, nerui, venæ, arteriæ, membranæ, tendones, vincula, cartilagines, ossa, pili. Siccitate cutem superat, pilus, subsequuntur os, cartilago, vinculum, membrana, arteria, vena, neruus, flaua bilis, & atra. In humiditatem abeunt, neruus sensitiuus, cor, renes, iecur, lien, caro, pulmo, spinæ medulla, cerebrum, medulla ossium, adeps, sanguis, & pituita. Ad lancem igitur cutis, sic librata est partium corporis temperies, vt ad hominis corpus εὔκρατον generum & specierum facta fuit ex Galeno cõparatio & omnium proportio.

Calidarum partium corporis series.

Frigidarum.

Siccarum.

Humidarum.

Vellem, vt alter Apelles hominem exquisitè temperatum delineare, ad cuius normam, de intemperatis nota non esset obscurior. Huius esset corpus genuinâ partium proportione concinnum, non acri quodam à calore macrum, aut siccitate rugosum & aspe-

Temperati hominis descriptio.

rum, non vda humiditate tumidum & albeſcens, ſed bono &laudato habitu quadratũ & εὔσαρκον, halituoſo & benigno calore tactũ demulcens, colore faciei ex albo rubróque ſplendens, coma flaueſcẽs, & ſenſim cũ ætate nigreſcẽs. Homo quidẽ in naturalibus tẽperatus, in agendo expeditus, moribus prudens, humanus, candidus, non temerè audax, aut ignauè timidus, non cunctator, non præcipitator. Hæc, me herculè, humani corporis proba temperies, & corporis elegantia iudicari poſſet, in qua nati non parùm felices, ni corpus in aſſiduo fluxu ætatis, & temporum mutatione, ac curarum fatigatione, de ſtatu caderet,

Horat. 4. carm. Od. 7.

Immortalia ne ſperes, monet annus, & almum
Quæ rapit hora diem.

Adnexorum homini ad tẽperiem proportio.

Sed iam pro temperamentorum coronide, adnexorum homini ad ſalutem, oſtendamus temperiem. Ea autem ſunt, elementa quatuor, ætates totidem, humores, anni tempeſtates, diei partes, mundi anguli, & venti. Quæ omnia quadraturam in circulo mundi

complent. In censu ergò calidorum & humidorum sunt ordine, aër, pueritia, sanguis, vernum tempus, pars diei matutina, orientis plaga, & indè venti. Calida siccaque sunt, ignis, bilis, virilis ætas, æstas, meridies, australis mundi pars, & indè venti. Frigida autem & humida sunt, aqua, pituita, senectus, hyems, pars noctis media, occidens, & indè venti. Quadraturam complent in frigida & siccà temperie, terra, melancholia, declinans ætas, autumnus, septentrio, & indè venti.

DE ALTERO CONSTITVTIVO corporis nostri principio, nempè de quatuor humoribus.

ENARRATIO V.



Vmores animantium sanguine præditorum elementa vocat Galenus, quod de humoribus congenitis est intelligendum. Humores enim alij sunt congeniti, alij acquisititij. Congenitos proportionem

De humoribus insitis & acquisititiis. 2. de Elemét. 8. de placitis.

calidum vocamus immortale esse,& cuncta intelligere,& videre,& audire,& scire omnia, tum præsentia,tum futura. Quid expressius? Quid enim calidū illud quod cuncta intelligit, & videt, præter ἐντελέχειαν corporis organici esset? Vera quidem sententia, & ita probata multis,vt & Galenum probè de anima nostra sensisse existiment, cùm non semel animam vocet ipsum calidum natiuum. Esto igitur cum anima nostra, aut calor natiuus, aut spiritus, aut temperamentum Medicis dicitur: nomine instrumenti præcipui, ipsamet anima designatur, nec absurdum sentio. Mihi tamen vera & pia credenti, nusquam calor natiuus,& temperamētum, anima dicetur.

Nemesius.

Calidum nostrum natiuū non esse cœleste probat.

Vt nec mihi vnquam persuasi calidum illud naturale quo viuimus, purè cœleste esse, & prorsùs specifica differētia ab elemētari & temperamēto quod in nobis est,& quo nos constamus alienum. Omne etenim viuens calidum est,& Salamandra animal, & Mandragora herba,calore viuunt,& à calore vitam ducunt, qui viribus &

energia, cœteris qualitatibus in mixtione præpollet. Comparata tamen illa Leoni animali, & gummi Euphorbio, aut calci, frigida sunt toto temperamento. Negamus deindè nostro calori natiuo non aduersari frigus. In frigidis enim temporibus & regionibus, extincto calore à frigido, animalia moriuntur, vt Insecta, & Aues, quibus innatus calor paucus est, & substantia corporis minimè robusta. Moriuntur & homines à frigido per hyemem ingenti, quod in bello & exercitu Romanis, & Gallis sæpè, multoties Germanis & frigidis in regionibus obseruatum. Imò cùm & à febribus perit homo, cor illi antè mortem frigere Galenus asserit. Sed cùm calor mixtionem commoueat & efficiat quæ ratio poterit esse mixtionis, si calor non est ab elementis? Descendat ergò è cœlo necesse est. At cœlum ex Aristotelis sententia, est improportionatum elementis, nec communicat in materia, sed est *ἀσύγκριτον*. Cœlorum enim materia loco mobilis est, non mutabilis vt illa elementorum, nec adiunctam

In 6. Epid.

habet priuationem. Qua ergò ratione poterit cum elementis miſceri forma illa cœleſtis caloris? *Eſt ex neceßitate quidem contiguus iſte mundus ſuperioribus lationibus, vt omnis ipſius virtus indè gubernetur*, ait Ariſtoteles. Quia nempè immixtum cœlum vt efficiens energiticos, non vt forma aut materia, vt externum, non internum principium concurrit ad mixtum. Ea igitur ratione, & Philoſophiæ moderamine, calor noſter internus (quem ſuis verbis vocat Hippocrates ἔμφυτον θερμόν) cœleſtis nuncupari poteſt. Tale eſt iſtud Aſtronomorum. *Cauſæ agentes ſequuntur Solem, materiæ Lunam, fœcunditas cauſarum agentium Iouem, fœcunditas materierum Venerem, velox expeditio ad effectum propter vehementem calorem à Marte, & propter virtutem multiplicem Mercurium, & cunctarum continuatio permanens ſequitur Saturnum.*

1. Metheor.

De humido radicali.

Cæterùm verum non ſolùm eſt, quod ait Hippocrates, calidum frigido moderato nutriri, hoc eſt, temperari: ſed etiam humido ſui pabulo delectari, fouerique. Sic longioris, aut bre-

uioris vitæ, duas assignabat causas Aristoteles. Quantum nempè, & quale. Quia non solùm copiam humidi necessariam dicit, sed & vt calidum neque facile gelabile, neque facile resiccabile sit, ἔυπηκτον ϗ ἀνξήραντον vocat. Nec aliud est quod astruit 1. Aph. com. 14.
Galenus, substantiam innati caloris aëream esse, & aqueam. Aquea, inquam hoc est, non frigida, tenuis, aut fluens vt aqua, sed humida vt aqua, verùm calidi & humidi pinguis, & aërei, ac oleaginosi multum in se continens. Ab hisce succedit spiritus ætherea & *De Spiritu.*
tenuis substantia, caloris natiui vehiculum, & delator, quique essentiam calidi natiui absoluit. Vnde doctissimo In Phisiologia
Fernelio, calidum innatum est humidum primigenium, insito spiritu, & calore vndiquè perfusum.

Triade ergò illa, humido primigenio, *Superiorum*
spiritu, & calore, partes nostri corporis *epilogus.*
constare, sic meditamur. Viuimus calore illo innato viuifico, humido temperato & substãtiali, quibus partes corporis pro rata portione, vna cũ elementorum crasi, diuersam molem sustinẽt &

adeptæ ſunt. Accedit ſpiritus humoris illius & caloris ſoboles, quo & eſſe partis & illius vita abſoluitur. In quibus anima, perfectio, & complementum totius noſtræ naturæ diuerſatur. Vires autèm animæ noſtræ, facultates appellamus. Effectrix enim quæpiam cauſa facultas eſt Galeno, ſita in proprio partium corporis temperamento. Indè trium maximarum partium varietate, animæ facultates ſe produnt, naturalis ab hepate, vitalis à corde, à cerebro animalis.

Quibus vita noſtra conſtruetur.

Iam vt quæ in partium conſtitutione innata, & ſingona diximus, à prima vitę periodo ad extremum ſenium conſeruentur, cibo, potu, & aëre indigemus. Ita ſolidam ſubſtantiam cibo, humidam potu, ſpirituoſam aëre conſeruari, concors eſt Medicorum ſententia. Hæc ergò humorum corporis ab alimento ratio, hinc indè ſpiritus, & calor à partibus præcipuis influens, vt infixos in partibus, ſi non augeant & amplificent, ſaltem conſeruent, & analoga quadam nutritione reparent. Vetus eſt illud Hippocratis. Princi-

lib. de Vtilit. reſpir.

pium alimenti ſpiritus, os, nares, guttur pulmo, & alia reſpirationis organa.

DE TEMPERAMENTIS SINgularum corporis partium, & adnexorum.

ENARRATIO IIII.

De corpore æqualiter & inæqualiter intemperato.



Etat Galen. ne ex vnica corporis parte, de totius temperaméto pronuntiemus. Corpus enim aut æqualiter intemperatum eſt, aut inæqualiter. In inæquali intemperamento, ſingulis in partibus notanda eſt temperamenti diuerſitas. At in æquali, tres partes præcipuæ, Cerebrum, Cor, Iecur, quia conformes, totius corporis temperamentum ferè expromunt, & exhibent.

1. de Temperament.

Ita cùm omnium temperies ad vnum concentum conſpirat: ex habitu corporis qui ex illa temperie reſultat, & ex colore, charactere, & mole, de totius corporis ſtatu & temperamento pronuntiandum. Habitum autem cor-

poris inuestigamus,in crassitie, in gracilitate, venarum latitudine, & tenuitate.

Calidi temperamēti signa.

Sic qui temperamento sunt calido, carnoso bono habitu, & suaui præditi: venas habent latas, molles si humidi, duras si sicci: pilosum ventrem, minùs in humido, plùs in sicco. Frigidi verò qui sunt, venas habent tenues, suntque macri si sicci sunt, adiposi si humidi, in colore pallent, aut liuent. Atque ita de temperamentis in cerebro, corde, hepateque rimandum. Quæ Galeni philosophica meditatio est in lib. Artis paruæ. Quoniam autem temperamenti partium corporis critirion iudiciumque fit, relatione partium inter se: Pars quædam corporis temperatior exhibenda est, quæ cæterarum regula sit, & ad cuius comparationem reliquarum partium temperies inuestigetur. Summus artis dictator Galenus exhibet nobis temperatam volæ manus cutem, aut quæ in acinis digitorum est: Ad quam initâ comparatione, de reliquarum corporis partium temperie iudicat, hâc ferè serie.

Frigidi signa.

Crytirion tēperamenti relatione fit.

Quæ pars corporis reliquarū norma sit.

Cute

Calidarum partium corporis series. Cute magis calet simplex caro, deinde magis renes, deinde lien, iecur, magis adhuc sanguis, ac flaua bilis, sed maximè spiritus & cor. *Frigidarum.* Cute autem magis in frigidum deuergit adeps, magis cerebrum, deinde spinæ medulla, nerui, venæ, arteriæ, membranæ, tendones, vincula, cartilagines, ossa, pili. *Siccarum.* Siccitate cutem superat, pilus, subsequuntur os, cartilago, vinculum, membrana, arteria, vena, neruus, flaua bilis, & atra. *Humidarum.* In humiditatem abeunt, neruus sensitiuus, cor, renes, iecur, lien, caro, pulmo, spinæ medulla, cerebrum, medulla ossium, adeps, sanguis, & pituita. Ad lancem igitur cutis, sic librata est partium corporis temperies, vt ad hominis corpus ἔυκρατον generum & specierum facta fuit ex Galeno cōparatio & omnium proportio.

Temperati hominis descriptio. Vellem, vt alter Apelles hominem exquisitè temperatum delineare, ad cuius normam, de intemperatis nota non esset obscurior. Huius esset corpus genuinâ partium proportione concinnum, non acri quodam à calore macrum, aut siccitate rugosum & aspe-

complent. In censu ergò calidorum & humidorum sunt ordine, aër, pueritia, sanguis, vernum tempus, pars diei matutina, orientis plaga, & indè venti. Calida siccaque sunt, ignis, bilis, virilis ætas, æstas, meridies, australis mundi pars, & indè venti. Frigida autem & humida sunt, aqua, pituita, senectus, hyems, pars noctis media, occidens, & indè venti. Quadraturam complent in frigida & sicca temperie, terra, melancholia, declinans ætas, autumnus, septentrio, & indè venti.

DE ALTERO CONSTITVTIVO corporis nostri principio, nempè de quatuor humoribus.

ENARRATIO V.



Vmores animantium sanguine præditorum elementa vocat Galenus, quod de humoribus congenitis est intelligendum. Humores enim alij sunt congeniti, alij acquisititij. Congenitos proportionem

De humoribus insitis & acquisititiis. 2. de Elemēt. 8. de placitis.

temperamenti consequi, anteà dicebamus, nobiscum autem nascuntur ex traduce & à semine. Acquisititij autem humores sunt substantiæ humidę, ex eorum quibus vescimur, & poculentorum mixtione genitæ. Cibi enim & potus ea præcipua ratio est, vt exhaustum in corpore resarciatur.

Quæ diu viuunt sine alimento.

Et quantò plus viscidus lentusque humor in nobis abundat, tantò minùs nos cibo & potu indigere certum est: sic diuersæ plantæ, vt Telephium, Semperuiuũ, aliæque multæ, succositate sua contentæ: absque nouo alimento prolecto etiã è terra diutiùs euulsæ, virescunt. Ita Glires, & Serpentes ob humorem viscosum intrà corpus collectum, aquis aut terra sepultæ, sine nouo alimento hyeme pinguescunt. Multa in latibulis degunt, quorum pauco calori alimenti interni respondet sufficiens visciditas, vt de Chamæleonte philosophantur, quem aëre victitare multi falsò sibi cum Plinio suadent, decretũ enim est ab Aristotele aërem nullo se exhibere alimento.

lib. 8 nat. hist. cap. 33.

Quæ causa sin

Concurrunt & aliæ causæ in anima-

libus, maximeque in hominibus, quos sine cibo & potu, longo vixisse tempore historiæ referunt. Inter quas non spernenda causa est, quæ à pororum cutis adstrictione, adhæsione, & obstructione petitur, quæ tanta tamque pertinax in illis, vt per poros nihil euaporent. Moderatus etenim, qui in eorum corpore stabulatur calor, interno succo sibi æquali ita contentus est, vt nihil è potu aut cibo sibi deforis ingesto emendicet. Satisque sit & sufficiẽs, si vitalis eorum spiritus aëre per transpirationem adacto recreetur, quo vis cordis viriliter micat, vitamque sat prospere ducit atque conseruat. Caussam verò adhæsionis, adstrictionis, aut obstructionis in cutè & musculis, quæ tanta esse possit, vt omnem à corpore effluxum intercipiat, nec excitet putredinem, alio loco quærere præterquam in cœlorum & astrorum peculiarem in ἀποσίτους istos influxum, difficile vbiquè iudicio. Sed redeamus ad pensum.

cur multi diu vixerint nullo prorsus sumpto alimento.

Ab humoribus, ait Hippocrates, constituimur, & alimur: sunt autem qua-

Humorũ diuisio.

tuor,ſanguis,pituita,bilis flaua, & bilis atra, quæ melancholia dicitur. Quos humores omni ætate & omni tempore in homine reperiri demonſtrat Hipp. quanquam i certo quolibet tempore & ætate,vnus vel alter humor in corpore dominetur. Omnes autem humores in hepate generantur: Et quantum natura alimenti ferre poteſt,ſimiles vbiquè iam innatis & congeneratis. Materia autem humorum omnium chylus eſt,ſuccus videlicet prima coctione in ventriculo elaboratus. Chylus enim per venas ventris meſaraicas ad hepatis portas contendit, has ſemel ingreſſus : ab hepatis parenchymate pars in chylo temperatior fit ſanguis purus, pars quæ admodùm in caliditate excellit, fit bilis flaua, ſeu ſanguis bilioſus: Sic quæ à mediocritate deflectit, pituita : vt illa, quæ craſſior in chylo ſubſidet, melancholia. Hanc humorum γένεσιν Gal. vino muſteo appoſitè comparat, in quo pars, quæ floreſcit reſpondet bili, pars ſubſidens melancholiæ : quod autem in vino crudum eſt, pituitam æmulatur,

lib. de natur. humana.

De generatione Humorum.

2. de nat. fac. 4. de vſu part.

vinosa substantia, quæ probè cocta est, sanguinem purissimum.

De sanguine

Sanguis autem in facienda Medicina bifariam vsurpatur. Aut enim sanguinis nomine, quatuor humores adæquatè in venis contentos intelligimus; aut solùm sincerum, purumque sanguinem. Hic substantia mediocris est, colore ruber, sapore dulcis, à calore moderato genitus, calidus & humidus vel tẽperatus. Hunc autem in corpore abundare vt notum sit, quædam signa lustranda sunt, ab his quæ præcesserunt & sanguinem generare nata sunt, & ab iis quæ sanguinis dominatum consequuntur. Quæ præcesserunt, causæ simul & signa dicuntur, quæ verò subsequuntur, signa solùm.

Prædominãtis sanguis causæ.

Sanguinis ergò causæ & signa sunt hepatis temperies calida & humida, prima hominis ætas, pueritia, pubertas, cibi euchymi & succi boni, vita curarum expers, gaudiorũ plena, aëris clementia & vernum tempus. Ad sanguinis autem prędominium in corpore sequuntur: faciei & corporis color rubicũdus, aut ex albo rubroque mixtus,

Signa.

habitus carnoſus, firmus & ſine multa adipe. Illum autem abundare, & plethoricam conſtitutionem demonſtrăt, venarum tenſio ab exercitatione, pulſus fortis, magnus & plenus, reſpiratio difficilis, ſomnus profundus. Cæterùm ſanguinei bonis moribus præditi ſunt, hilares & iucundi, quibus ſomnus eſt placidus & inſomnia iucundarum rerum plena.

Plethora.

De Pituita.

Poſt ſanguinem ferè abundat Pituita. Eius quæ naturalis eſt & ſincera in maſſa ſanguinis contenta, talis eſt conſtitutio, ſubſtantia lenta eſt, colore alba, guſtu inſipida, temperamento frigida & humida. Nullum eſt eius, in corpore receptaculum, ſed vnà cum ſanguine fertur, partes frigidas & humidas corporis alitura. Hæc in hepate, vt cæteri humores, generatur, non in vĕtriculo aut inteſtinis, vbi ſi quid crudum & incoctum cumulatur, non naturale excrementum eſt, diciturque pituita nonnaturalis & ſuperuacanea. Quæ certè omninò inutilis non eſt, impedimento enim eſt, ne inteſtina acriori bilis incurſu nimium quàm par

ſit ſtimulētur ad excretiones, aut morſu rodantur exulcerenturq́ue. Contra naturam autem Galeno Pituita quadruplex eſt, vitrea, dulcis, acida, ſalſa. Acida & ſalſa in venis,& extrà generari poſſunt. Dulcis autem,vitrea,& quæ aquea dicitur,ſolùm extrà venas.Pituitam itidem vt cauſæ procreatrices cumulant cor, iecur & ventriculus, cùm algioſa intemperie & humida conſtāt: frigidorum etiam & humidorum alimentorum vſus,cibus plenior & inordinatè ingeſtus, ætas ſeneſcens & imbecilla , pueritia,& omnis ætas quæ comeſſationibus indulget: aëris etiam conditio frigida & humida,vita ſedentaria, ſomnus profundus longuſq́ue nimis. Pituitam autem adeſſe teſtantur, faciei corporiſq́ue calor pallidus, moles ampla, & intumeſcens, ſenſus hebetes & tardi, motus corporis ſegnes, & cum ſocordia, inſomnia itidem aquæ & ſubmerſionis pauida.

2.de diff. Feb. cap.7.

Dominantis pituitæ cauſæ.

Signa.

Bilis naturalis, quæ cum ſanguine in venis eſt, ſubſtantia eſt tenuiſſima, leuiſſima,veluti flos vini reliquis partibus ſupernatās,calore flaua aut citrina,

De Bile flaua.

ſapore amara, temperamento calidà & ſicca. Nonnaturalis autem & excrementitia tanquàm ſuperuacanea ab hepate proprio ductu in veſicam felleam hepati adnexam contendit; vbi paululùm aceruata alio ductu in inteſtina exporrecto deſcendit. Ea quotidie proluit aluum, ac tanquàm naturalis clyſter loca nutritia omni expurgat colluuie, & quotidianas cibi reliquias deturbat. Bilis autem contrà naturam quatuor ſunt vulgares ſpecies. Vitellina, quæ Galeno dicente, in hepate & venis generatur, tùm colore, tùm conſiſtentia, ouorum vitellis ſimillima. Porracea alia à porri colore. Æruginoſa tertia ab æruginis ſimilitudine. Iſatodis poſtrema glaſti nempè colorem repræſentās. Quæ bilis poſteriores ſpecies ab ingluuie & vitioſorum ciborū eſu, magna ex parte in inteſtinis & ventriculo generantur. Cæterùm qui hepate ſunt calidiori, bilis copiam exaggerant, ab alimentis calidis, inedia, victu parco, in ętate iuuenili & ęſtuoſo cœlo, vt & à vigiliis, intentis cogitationibus & graui ſtudio. Bilem autem adeſſe

2: de nat. fac. li. de atra bili.

Dominantis bilis cauſæ.

teſtãtur, faciei, oculorum totiuſque color pallidus, aut exflauo & albo citrinus, corporis habitus ſiccus, macer & gracilis, venæ amplæ, pulſus velox, frequens & durus, animi mores audaces prompti & expediti, in iracũdiam & vindictam propenſio, vigiliæ, inſomnia belli & furoris ardentiſſima.

De Melancholia reſtat, quæ, vt ſuperiores humores, triplex etiam eſt. Naturalis in primis melancholia *μελαγχολικὸς χυμὸς* Galeno quarta pars ſanguinis in maſſa, alimentaria ea & ad nutricatum partium ſyngenearum apta nata, ſubſtantia craſſa, guſtu acerba, temperamento frigida ſicca: ſicca (inquam) poteſtate, vt aqua marina, quæ vda cùm ſit & liquida, potentiam tamen habet exſiccandi. Qui melancholico ſunt corporis habitu, hancque naturalem melãcholiam prædominantem habent, ingenio & prudentia valent. Indè Galenus *τὸ ἑδραῖον, καὶ βέβαιον, ἐν τῇ ψυχῇ, διὰ τὸν μελαγχολικὸν χυμόν ἐστι.* Quod in mẽte cõſtans firmumq; eſt, id à melancholico

De melancholia.

Qui ſunt melancholici naturales.

in lib. de nat. humana.

lib. quod animi mori.

Melancholicorum signa.

humore proficiſcitur. Heracliti erat illud ænigma. *Splendor ſiccus, animus ſapientiſſimus.* Melancholicos autem naturales iudicamus ex colore, habitu, & mole. Color eorum obſcurus, aut niger, & fuſcus, habitus ſiccus & macilentus, aſſidui labores & intentum ſtudium.

Melancholia non naturalis.

Non naturalis verò melancholia eſt craſſior & fœculentior pars ſanguinis, quæ à Liene prolectatur, in hũc nempè vſum, vt ventriculo ad cibi coctionem conferat, cuius & appetitum concitet. Ea igitur per vas breue, Anatomicis dictum, in ventriculi fundum eructatur, & indè per inteſtina egeritur delabiturque.

Hippocondriaci qui ſint.

Qui melancholia nõ naturali abundant, ſiniſtrum hypochondrium habent diſtentum & flatibus turgidulum: atque cùm humor magna copia, in hypochondriis luxuriat, obſcura anathymiaſi ad cerebrum elata, in falſa traducũtur, eaque cogitatione, verbo & opere adimplent, quæ eos mente errare certò demonſtrant.

Aph. 23.6.

Ad quos hoc Hippocratis pertinet. Ἠ φόβος ἢ δυσθυμίη, *metus, ac mæſtitia*, ſi longo tempore perſeuerauerint, me-

lancholicum ſignum eſt. In coaca ſic eſt. Αἱ μετὰ σιγῆς, καὶ ἀπανθρωποίας, ἐπιεικῶς αὐτῶν κατεργαστικαὶ μελαγχολίαν σημαίνουσι. *Abiectio animi taciturna & ſolitudo quæſita, ipſæ ſui per ſe authores & modicæ melancholiam oſtendunt.*

Sequitur melancholia contrà naturam, quæ, Galeno teſte, cæterorum humorum aſſatione fit, aut putredine. Fit autem ſic, exuritur ſanguis, bilis etiam flaua maximeque vitellina, & melancholia naturalis melancholicus ſuccus dictus. Pituita autem ad aſſationem nullam habet naturalem diſpoſitionem. Iam ergò melancholia ab humorum exuſto prodita, atra bilis nuncupatur, quæ calore differt, prout vario humore à quo generatur, conſtat. Quæ fit à melancholico ſucco non naturali in liene contento, eſt quaſi fæx vſta, terram acritudine ſua fermentans. Malignior tamen & ſeuerior eſt, quæ à vitellina bile retorrida naſcitur, hæc enim fermenti more terram attollit bullaſque excitat, &, authore Hippocrate, in ægri pernitiem vbiquè excernitur. Diſſenteria, ait, *De Atra bile.*

quæ fit ab atra bile, lethalis. Effera enim eſt & omni ſuo ſero ſpoliata ab æſtu, vnde nigrorem ſibi comparat lucidiſſimum: Hæc & cancros ſolet efficere deſperatos, quos non curare præſtantiùs iudicauit Hippocrates. Sed huius malignas efficientias vberiùs dedimus & copiosiùs in conſilio de Licanthropicis. Generandæ autem melancholiæ opportuni ſunt, quibus hepar friget, in vſu ciborum craſſorum, ætate inclinante, & autumno. Ad exuſtionem autem humorum & atræ bilis generationem paratiſſimi ſunt, quibus impendiò calet hepar, Atrabilarios vocant, quorum mores ſunt pertinaces, ad iracundiam, auaritiam, ſuique ſtudium admodum propenſiores. Sed de his ſatis.

Atræ bilis cauſa & ſigna.

PARTIVM HVMANI CORporis enumeratio ordine diſſectionis & Anatomico. Et primùm de partibus ventris inferioris.

PRÆFATIO.


Enè Hippocrates, impoſſibile dictat Medicinam cognoſcere, qui non nouit τί ἐστιν ἄνθρωπος καὶ ὅπως ἐγένετο πρῶτον. *Quid ſit homo, & quomodo factus, ac compactus ſit*: Corporis enim cognitio Medicæ artis principium eſt. Non alienum ergò noſtro ab inſtituto, ſi cùm de principiis artis breui diſſerere propoſitum ſit, vaſtum & immenſum illud Anatomes opus paucis præſtringamus. Et ad ſubleuandam in tam longo opere memoriam, ſolas corporis partes & earum vſum breui deſignemus, eo ordine, quo eas in publicis ſectionibus nos ſępè demõſtramus, pleniorem earum enarrationẽ

Lib. de Veter. Medicina.

ad opus Anatomicum Galeni, aut recentiorum, Vessalij, Syluij, Laurentij, vel alterius qui erit ex voto & ad manum, referentes.

De partibus Ventris inferioris.

Missas facio corporis & partium eius diuisiones theoreticas, quas luculenter proponunt recentiores, aut habere possunt ij, qui Anatomē in Theatro publicè proponunt. Infimæ ergò corporis nostri regioni, ventri nempè & Abdomini do manum, quę quia cœnosa, & excrementorum sorditie putida, eximi solet primùm in sectione. Iam igitur toto cadauere in caput, pectus, ventrem, & artus diuiso, incipit Abdomen seu venter inferior ab inferioribus costis pectoris seu thoracis ad ad inguina vsque, cuius externa superficies, in supremam, mediam & inferiorem regionem diuiditur.

Ventris inferioris diuisio externa.

Epigastrium.

Superior pars uentris Epigastrium nominatur, cuius latera hypochondria sunt. Stat autem in dextro hypochondrio Hepar, in sinistro Lien, in medio

medio autem epigaſtrij inter duo hypochondria iacet ventriculus cibi & potus receptaculum, ac primæ coctionis officina. Media ventris pars vmbilicalis eſt, cuius latera lumbi, in quibus renes ſiti ſunt. Inferior pars hypogaſtrium dicta ad latera inguina habet, qua parte bubones, cùm venerei tùm peſtilentes, tùm & ſimplices in febre diaria intumeſcunt. In media parte regionis hypogaſtricæ pubis eſt ſeu pecten, vbi pili ſub primam veneris pruriginem effloreſcunt, pubertatis & virilitatis indices. Inteſtina toto ventre & abdomine circumuoluntur: colon tamen ad latera magis, Ieiunum circà vmbilicalem regionem. Et in hypogaſtrio ſunt inteſtinum ileum, veſica, & vterus in muliere.

Vmbiculus.

Hypogaſtrium.

Ita diuiſa ventris extima facie, internam diuidimus in partes continentes & contentas. Continentes ſubdiuiduntur in communes & proprias: Cõtinentes communes, quòd per totam corporis faciem, vt in capite, pectore, & artubus reperiantur, ita dictæ ſunt. Vbiquè enim reperies cuticulam ſeu

Ventris inferioris diuiſio interna.

Quinque communia integumenta.

epidermida, veram cutem, adipem, panniculum carnoſum, & membranam, quæ commune tegumentum eſt muſculis. Continentes autem propriæ ſunt, quæ hîc ſolùm reperiuntur, ſunt autem Muſculi epigaſtrij ſeu totius ventris, & Peritonæum.

Partes ventris continẽtes propriæ.

Muſculi epigaſtrij.

Muſculi epigaſtrij à natura dati ſunt, cùm ad ventris robur, tùm ad eius cõpreſſionem, vt primæ coctionis excrementa & reliquię cibi pellãtur faciliùs: Sunt autẽ decem, duo obliqui interni, duo recti, duo tranſuerſi, duo ſuccenturiati, quibus ſi duo Cremaſteres addãtur, erunt numero duodecim, ſed duo Cremaſteres ſunt teſtium ſuſpenſores.

Peritonæum.

A muſculis epigaſtrij ſuccedit Peritonæum, quod membrana eſt tenuiſſima, telis araneorum ſimillima, quæ totum ventrem inueſtit, commune partiũ internarũ tegumentũ, & quidam paries inter muſculos & inteſtina medius.

Vmbilicalia vaſa.

Inter duas Peritonæi tunicas, ferũtur quatuor vaſa vmbilicalia, quæ olim omne alimentum ad fœtum in vtero matris deferebant: cùm ſcilicet adhuc per vmbilicũ ſugeret, & illâc alimoniã

capeſceret infans:ſunt autem vaſa illa, duæ arteriæ, & totidem venæ, quæ in vmbilico ſimul cōcurrunt. Arteriæ ad ramũ magnæ arteriæ deſcendentis,qui dicitur Iliacus, hinc inde deſcendunt. Vna vena embrij nutricula ad hepatis rimam & ſciſſuram contendit, eſtque veluti hepatis ſuſpēſorium,quo reſecto ſtatim cōcidit hepar, vitaque priuatur animal. Altera vena,quæ ouracos dicitur, ad veſiccæ fundum fertur, & ab ea fœtus vrinam deponit in membranam allantoidem,vbi, dum eſt in vtero aſſeruat vrinam.Quatuor hæc vaſa, edito fœtu extra vterum,in ligamenta reſiccata degenerant,nec amplius primo funguntur officio.

His ita apertis,ſequuntur partes ventris cōtentæ ſuntq; triplices,aliæ enim coctioni, alię expurgationi, procreationi aliæ dant operam. Coctio autem duplex eſt, vna χύλωσις dicitur, quæ eſt alimentorum mutatio prima in chylum ſeu ſuccum,& fit in ventriculo: Αἱμάτωσις altera ſeu ſanguificatio, quæ fit in hepate, vbi chylus in ſanguinem decoquitur. Ventriculo *Partes ventris contentæ.*

& duodecim digitos longum. Secundum Ieiunum seu vacuum νῆστις, rubicundum, vasis pluribus refertum, attamen vacuum, ob perpetuum iecoris ab illo suctum. Tertium est Ileon pluribus anfractibus inuolutum, ad ilia & coxas extensum, cuius est frequens in scrotum prolapsus, vndè fit vulgaris hernia Entherocele. Fit & in eo ileos morbus, vulgò *Miserere* dictus. *Ieiunum.* *Ileon.*

Crassorum intestinorum primum est cœcũ τυφλὸν Monoculus, quia vno tantum ductu peruius, nec bina habet orificia vt cętera intestina: eodem enim quo excipit eodem remittit orificio. Saccus etiam dicitur, si quid enim restat à chylo non distributum, eo conseruatur, vt tandem sugatur ab hepate & mesaraicis venis. Colon à κολάζεσθαι & contorquendo dicitur, incipit suprà renem dextrum, & per caua iecoris, ventriculi fundum, in lienis cauum cui firmiter alligatur, contendit, illinc ad ilium sinistrũ descendit. In homine solo ad superiora reuoluitur, in brutis totum in hypogastrio consistit. In colo autem detentæ fæces figu- *Cæcum.* *Colon.*

Rectum. figurantur vbi flatus velut in claustris cumulantur, colici enim cruciatus sedes est. Postremum intestinũ Rectum est, quod rectà ad anum contendat, cuius extremitas clauditur sphinctere musculo, ne præter voluntatem emittantur flatus, & excrementa descendant; quod esset fœdissimum.

Mezæroon. Cùm intestinis videtur Mesenteriũ seu Mezæreon: eo enim vt vinculo alligãtur intestina: corpus est membranosum duabus tunicis, venis & arteriis quamplurimis, adipe copioso & adenibus contextum. *Venæ Mesaraicæ.* Hic sunt venarum mesaraicarũ propagines, quæ chylum in hepatis portas vehunt, & reuehunt sanguinem iam factum, ad illarum nempè nutricatum.

Pancreas. Sequitur Pancreas seu Callicreas, corpus glandulosum, ventriculo & duodeno substratum, venæque portæ ramos quosdam, vt puluinar quoddam, sustinens.

Vena porta. Antequàm eximantur intestina Vena porta demonstratur: Est enim illa insignis vena è concauo hepatis multis ramificationibus, sed dua-

bus maximis, Splenica & Mesenterica in totum ventrem irrigis. Quas antequàm spargat, quatuor surculos è trunco emittit, chysticum, gastricum, gastre piploicũ & intestinalem. E splenica vena deindè fruticantur quatuor surculi, gastricus minor, epiploicus dexter, coronarius stomachicus & epiploicus posterior. E mesenterica verò tres, hæmorrhoidalis, cœcalis & mesentericus.

Ventriculus. His ita omnibus ingeniosè dissectis, ostenditur Ventriculus cibi & potionis receptaculum, chyli promptuarium & officina, totius corporis penus, & singularum partium promus. Huius tres partes, os superius, os inferius, & fundum lustrant Anatomici. Superius orificium cor vulgus vocat, vbi, vel leui stimulo, fit syncope stomachica, & lypothymia, hocque perpetuò adapertum patet. Inferius pyloron & ianitorem vocant, exactè enim clauditur, nec nisi probè confecto chylo, si sanum sit animal, dehiscit. In fundo autem ventriculi fit concoctio prima & chylus, vbi & copia

caloris adest cum proprietate quadam insigni coquendi cibos : Struthiocamelus creditur concoquere ferrum, & auiculæ grana vorant integra, ingerunt & coquunt, quæ nec minimùm alteraret Leo calidissimus.

Hepar. Ventriculo succedit Hepar, venarum radix & origo, officina sanguinis, thesauri vitæ custos, concupiscibilis facultatis sedes, amoris emporium. Situm est hepar in dextro hypochõdrio, calidum & humidum viscus, cuius parenchyma & carnosa substãtia probè sanguinem conficit, & eum ab omni colluuie expurgat. Eius enim carnis vsus est, separare, fulcire vasa, eorum fouere calorem, sanguinem formare & colorare.

Visica fellea. Huic adnexa est vesicula fellea, quæ dextera in parte hepatis resimaque propendet. In hanc hepar per propriũ ductum bilem amaram expurgat à sanguine, quam & vesicula per alium ductum in duodenum intestinum amandat, vt amarore quo pollet, excrementa deturbet, & ab intestinis pituitam expurget. Ab eadem vesicula emanat

aliquando tertius ductus quidam, qui aliàs in vẽtriculi fundum, aliàs in priora inteſtina regurgitat. Si in ventriculi fundum ductus ille permeat, ſtomachum mouet, bilemq́ue eructant ferè quotidie qui hanc conformationem nacti ſunt, hoſq́ue vocant πικρόχολους ἄνω, deſursùm bilem vomentes. Si verò vas illud ad inteſtina prorepit, mouet diarrhæam, hos vocãt πικρόχολους κάτω, deorſum bilem deijcientes.

Sequitur Lien in ſiniſtro hypochondrio, viſcus cuius parenchyma, rarum, fungoſum, ſpongioſum eſt & arterioſum, linguæ bubulæ ſimilitudinem repræſentans. In lienem hepar fœculentiorem ſanguinis partem, & melancholicum ſuccum deponit. Quem arteriarum pulſatione attenuat lien, quo familiarior naturæ reddatur hic alioqui immitiſſimus ſuccus. *Lien.*

Indè ab hepatis conuexo vena magna, quæ Caua dicitur, exſurgit, à qua tanquam flumine inſigni & Nilo fœcundiſſimo, tota corporis vniuerſitas irrigatur. Diuiditur autem hæc ſanguinis ſcaturigo ingens, in venam cauam *Vena caua.*

ſuperiorem aſcendentem,& illam quæ deſcendens, partes hepate inferiores nutrit & irrorat.

Vena caua deſcendens. A vena caua deſcendente hîc incipiunt,eaque cum arteria magna, quæ per lumbos excurrit, demonſtratur. Diuiditur autem vena caua deſcendẽs in duos inſignes ramos Iliacos,per crura & tibias diſſeminatos, quos antequà ſpargat, quinque quaſi ſurculis fruticatur: Adipoſo, Renali, Spermatico, Lumbari,Muſculoſo. Hinc in iliacos diſtracta ramos vena caua deſcendens, ab vtroque quatuor riuos emittit, Sacram nempè venam, Hypogaſtricam, Epigaſtricam, & Pudendam. Quæ omnes venæ partium quas perreptant nomina ferunt. Cùm autem Arteria ferè vbiquè ſit comes venis, has facilè cum venis demonſtramus. Sed nolo irrigare agellos meos tantis fluminibus, eſto hoc Anatomicis in Theatro negotium. Ad renes accedo,vreteres, & veſicam.

Renes. Renes ergò ad latera vmbilicæ regionis poſiti ſunt,& muſculis lomborũ incubant, illi maximè qui ψόας dici-

tur, cuius ope femur flectitur. Vnde in calculosis & nephriticis non est facilis femorum inflexio : signum enim est mansionis calculi in renibus, *νάρκη τοῦ μηροῦ κατ' ἴξιν*. Stupor cruris è directo. Hipp *6. epid.* In renes autem glandosa corpora, hepar serosum humorem è venis & sanguine expurgat, nempè in duos illorum sinus internos, quorum canaliculos, & fistulas, certis quibusdam papillulis obturatas admiraberis.

Vreteres sequuntur renibus adnexi, *Vreteres.* meatus videlicet, per quos serosus humor & vrina in vesicam allabitur.

Vesica autem in hypogastrio sita est: *Vesica.* pars duplici tecta membrana & triplici villorum genere intertexta. Cuius partes officiales duæ sunt, fundum & ceruix. In fundo continetur vrina, Ceruix autem musculo cingitur qui Ianitoris vicem gerit, ne vrina præter volũtatem exeat: *σφιγκτῆρα* hunc musculum vocãt.

Absolutis partibus, quæ coctioni alimentorum & expurgationi dant operam, sequuntur in iisdem hypogastrij locis vasa generationis. Duæ nempè venæ & totidem arteriæ, quæ in testes *Vasa generationis.*

& partes generationis è vena caua & arteria magna deſcendunt, Admirabilis eſt natura in horum propagatione. Sed quia fanum in quo ſumus, pudoris & caſtitatis lege illa attrectare vetat, Anatomicis relinquamus. Huius ergo terrenæ partis in homine leuis hæc ſit καταγραφὴ, & adumbratio. Adeamus pectus, cœlumque hominis in quo ſol micat, in quo Cor lucet & coruſcat, conſcendamus.

PARTIVM PECTORIS SEV Thoracis enumeratio.

ENARRATIO VII.

Thorax.



Ecunda eſt pars corporis noſtri Thorax, Pectus vulgò. Cuius ſuperior pars clauiculis, inferior cartilagine xiphoide, antica ſterno, poſtrema dorſo, lateralis coſtis clauditur. Conſtat totum pectus oſſibus, ad cordis nobiliſſimæ partis tutelam,

carne item & membranis, ad facilitatem dilatationis pulmonum, qui in Thorace respirationem edunt cum dilatatione seu diastole, & cum compressione seu sistole. Diuiditur etiam Thorax in partes continentes & contas. Continentes iterùm aut sunt communes iam explicatæ, Cuticula, Cutis, Adeps, Panniculus carnosus & communis membrana musculorum: aut sunt hîc solùm propriæ, quæ vel carneæ, vel membranosæ, vel osseæ sunt. Carnosæ sunt Mammæ & Musculi respirarionis. Membranosæ, pleura, diaphragma,& mediastinum. Osseæ sunt anticæ, στῆθος sternum seu pectus, posticæ νῶτον dorsum seu tergum, cuius latera sunt omoplatæ, στέρνα seu costæ, quæ & πλευραὶ dicuntur. Partes autem contentæ in Thorace sunt, Cor, Pulmones, Vena caua ascendens, Arteria magna, Vena arteriosa, Oesophagus, & Neruus sextæ coniugationis cum recurrente.

Thoracis diuisio.

Inter continentes partes carneas pimò explicantur Mammæ, glandosa corpora in externa pectoris facie sita

Mammæ.

hominibus ad ornatum, mulieribus ad nutricatum & delitias, vtriſque ad cõtentorum in pectore robur. Mammæ plurima habent vaſa, neruos maximè conſpicuos è coſtali ramo, vndè exquiſitus earum ſenſus & titillatio.

Muſculi deinde thoracis ſeſe efferunt inter partes continentes carneas: quorum alij ſunt communes brachio & ſcapulis, qui primi ſunt ſubleuandi, deinde alij proprij ſunt Thoracis.

Muſculi ſcapularum. Communes illi, ſunt duo, Pectoralis vnus qui brachium & Serratus minor alter, qui ſcapulam mouet antrorſum. In poſteriore parte ſiti ſunt, Trapezius qui ſursùm & retrorsùm ſcapulam mouet, Rhomboides qui retrorsùm, portio Latiſſimi qui deorſum.

Muſculi Thoracis. His ſublatis accedunt proprij Thoracis, quorum alij dilatationi, alij contractioni Thoracis ſuam dicant operam. Reſpiratio enim fit diſtẽtione & contractione. In diſtentione ducitur & inſpiratur aër, & pulmones ingreditur: in contractione fit expiratio, qua cor per pulmonis vaſa ſe expurgat à fumidis & fuliginoſis vaporibus. Diſten-

dunt Thoracem triginta duo musculi. Primus Subclauius 2. Serratus maior. 3. Obliquus superior epigastrij. 4. & 5. Serrati postici, & vndecim intercostales. Hi sunt ergò 16. & totidem in altera parte, qui 32. inspirationi destinantur. Et totidem Thoracem contrahunt, vndecim nempè intercostales, 12. Triangularis 13. Sacrolumbus, & tres musculi Epigastrij. Quibus si iungamus Diaphragma, quod expirationi inseruit, cõpletus erit numerus sexaginta quinque musculorum Thoracis. Qui omnes prædicti, validæ & violentæ respirationi inseruiunt.

Diaphragma solùm placidæ respirationis est instrumentum, cuius est situs in pectore transuersus, & veluti quidam interiectus paries inter vitalia & naturalia organa, figurâ suâ piscem, quem Rhaiam vocant, repræsentat. Quod in hoc musculo admirãdum est, præter vsus quos habet in pectore maximos, tũ ad liberã respirationẽ, hypochondria ventilanda, & ad excretionẽ vẽtris iuuãdã: Admirabile, quod vbiq; sit διχότομος, vt Luna medio orbe cæla. *Diaphragma.*

Duobus enim conſtat circulis membraneo & carnoſo, duabus venis, duabus arteriis, totidem neruis & tunicis, duobus foraminibus quorum vnum ſtomacho, alterum venæ cauæ ad cor aſcendenti aditum præbet.

Pleura. Sequitur Pleura ſuccingens membrana, quæ ſubtùs in pectore coſtis adhæret. Et vt peritonæũ in abdomine, ſic pleura omnes partes thoracis ſuccingit & amplectitur, omni ex parte duplex, verum pulmonis propugnaculum. In hac fit morbus ille vulgaris à pleura pleuritis, cùm venæ, quas habet ab azygo & intercoſtali ramo venæ cauæ aſcendentis, in pectore aperiuntur.

Mediaſtinum. Vbi autem pleura ad mediam ferè Thoracis partem peruenit, hinc indè duplicatur, & à ſpina dorſi fertur ad ſternum partem anteriorem pectoris, dextram eius partem à ſiniſtra dirimens, viſceraque ſuſpendens & vaſa, ideoque Mediaſtinum dicitur.

Vena caua aſcendens. Iam vena caua aſcendens demonſtranda eſt, quæ ex gibba hepatis parte in thoracem & iugulum conſcendit.

Hæc

Hæc enim trunco patentiſſimo in dextrum cordis ſinum tanquàm in vitæ ciſternam ſanguinem influit, futuram vitalis ſpiritus materiam. E' trunco quatuor inſignes fluuij, cor, diaphragma, & coſtas proluunt. Vena nempè phrenica, Coronalis, Azygos, & Intercoſtalis. Quorum ora duo regurgitant flumina, Subclauias nempè vtrinquè venas quæ infrà clauiculas perreptant, ſed vna intrà Thoracem, altera ad axillas iter agit.

Quæ ad Thoracẽ fertur, in quinque ſurculos diffinditur, Mammariã, Thymicã, Capſularẽ, Ceruicalẽ, Muſculã. Thoracica ergò talis eſt. Axillaris autem habet tres ramos, vnum ad Thoracem, duos ad brachium, quo loco in Baſilicam & Cephalicam diuiditur, ex quarum coitu in cubito fit vena, quæ Practicis noſtris Mediana dicitur. Ramus qui in Thoracem diſtribuitur, geminus eſt, vnus in mammas & muſculos externos aut antiquos pectoris, alter in poſticos fertur. Idem autem ramus ſubclauius cùm ſuprà claues conſcendit, Superclauius dicitur, à quo

duo oriuntur, Iugularis interna & Iugularis externa, hæc in brutis maior, illa in homine insignior. Quæ duæ ad cerebrum contendunt, illudque totum irrorant.

Arteria magna.

Describitur hîc Arteria magna, quæ à sinistro cordis sinu prosiliens, statim duas Arterias in basim cordis & eius ambitum reflectit, Coronarias dictas. Mox in duos finditur ramos prægrandes, quorum vnus secundùm lumborum vertebras inflectitur, quem suprà in abdomine dicebamus comitari venas. Alter sursùm ad iugulum fertur, vbi in insignes duos subclauios dictos diuiditur. A Subclauio dextro quinque arteriæ emergunt, Intercostalis superior, Mammaria, Ceruicalis, Muscula, Carotis, λυθαργικὴ καὶ ἀποπληκτικὴ dicta, quæ per latera asperæ arteriæ cum interna iugulari ascendens, si intercipiatur, & multa sanguinis plenitudine offerciatur, denegato spiritui vitali ad cerebrum aditu, & animali è cerebro exitu, fit Apoplexia. Similis est subclauiæ sinistræ distributio, præter Carotidem quam non emittit. Quod

reliquum eſt rami ſubclauij, ad axillas perueniẽs dicitur axillaris, à quo Thoracicæ arteriæ & illæ quæ ſunt in brachio, prodeunt.

His omnibus ita bellè demonſtratis, ſe offert capſula & inuolucrum cordis, quod Pericardium dicitur, cordis propugnaculum & vagina, in cuius ſpatio intrà cor, aquæ non minùs explicatu difficiles & admirabiles continentur, quàm quæ Dauidico celebri verbo narrantur. *Et aquæ, quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen Domini.* Illic autem fieri autumant, reſudatione ſeri humorum, cùm ne quid eſſet vacuũ, tùm ne Cor, quod perenni motu citatur, flammam conciperet, aut marceſceret loco ſicco detentum. *Pericardium.*

Enitet ſtatim diuina illa pars, quæ omnium in corpore prima viuit & moritur vltima, Cor viſcus nobiliſſimum medio in Thorace regia ſibi domo ſitum: Cuius ſi dignitatem, neceſſitatem, compoſitionem, motum, & naturam ſpectes, verè de illo dicas. *Cor.*

Regia ſolis erat ſublimibus alta columnis.

Clara micans auro flammasq; imitante
Pyropo.

Quid admirabilius? Mitto pyramidalem illius figuram non sine magno vsu inuersam. Si illius duos sinus introspicias, vbi fabricantur spiritus, Septum medium attrectes multis foraminibus peruium, vt ab vno ad alium sinum facilis & expeditus sit sanguinis commeatus: Auriculas duas Cor ventilantes, & aëris derepentè irruentis remorantes iniurias inspicias: Quatuor eius insignia vasa lustres, duas scilicet venas, Venam cauam, quæ ostio patentissimo in dextrum sinum hiscit, & è iecore sanguinem refundit, Venam arteriosam, per quam in totam pulmonum substantiam, idem sanguis transfunditur, duas item Arterias, nempè Arteriam magnã seu Aortam, quæ quoquouersùm vitalem spiritum è sinistro Cordis specu distribuit, Arteriam venosam, quæ aërem in pulmonibus præparatum defert in sinistrum sinum, & fumidos è corde vapores expellit: Valuulas vndecim foris intrò, & intrò foris adapertas claudas,

Sinus cordis. *Septem medium.* *Auriculæ.* *Vena caua.* *Vena arteriosa.* *Aorta.* *Arteria venosa.* *Valuulæ.*

& clauſas aperias, admiratione raptus, coactus eris dicere, materiam ſuperaſſe opus: quod de admirabili ſolis regia canit Metamorphoſis.

Succedunt cordi Pulmones, inſpirationis & expirationis inſtrumentum, cordis flabellum & refrigerium, aëris præparandi officina, vocis organum: Cuius eſt parenchyma leue, rarum, ſpongioſum, vt citò dilatari imbibíque poſſit: Cuius vaſa è corde ad ipſum delata, vena nempè arterioſa, arteria venoſa, & aſpera arteria, ſibi per collum ab ore communicata: aut aëris elaborationi ad ſpiritus inſeruiunt, aut ſunt viæ expurgationis fuliginum cordis: Vaſa prorsùs ad vitam neceſſaria, quicquid enim reſpirationem adimit, vitam tollit. *Pulmo.*

Ita abſoluta Thoracis admirandæ partis hiſtoria ſequitur illi adnexa Collum, in quo partes anticæ & poſticæ contemplantur. Anticæ variæ ſunt. Aſpera in primis arteria, quę Tracheia dicitur, cuius gratia videtur eſſe conſtructum: hac enim formatur vox, & per illam animalia inſpirant *Collum.* *Tracheia arteria.*

& expirant, descendit enim illa in Pulmones. Huius autem asperæ arteriæ caput Larynx dicitur, vulgò Adami morsus, pars in collo conspicua, tribus cartilaginibus Tyroidi seu scutiformi, Cricoidi seu annulari, & Arythenoidi infundibuli labro non dissimili, constituta. Ad huius autem arteriæ motum, quia constringitur & dilatatur, quatuordecim musculos dissecant, communes nempè quatuor, & proprios decem. Suprema Laryngis parte est operculum Epiglottis dictum, perpetuò ad respirandum inhians, nisi cùm cibus detruditur in os: tunc enim descensu cibi clauditur, alioqui inaduertentes magna tussis fatigat, si nempè vel micula in Laryngem contendit, aut guttula potus in illum delabitur.

Larynx. *Eius musculi.* *Epiglottis.*

Os hyoides. Scutiformi cartilagini Laryngis proximus est os hyoïdes, ypsilon græcam literam repræsentans, cui lingua adhæret. Huius dinumerantur musculi octo.

Lingua. Lingua deinde gustatus & ratiocinationis instrumentum cum suis decem musculis hîc enarrantur. Sic etiam

& fauces, quarum sunt decem musculi. *Fauces.*

Simul & ad latera Laryngis duæ glandulæ Amigdalæ dictæ & Tonsillæ adhærent, quæ saliuoso humore os & adiacentes partes vbique irrigãt, & aliquando πτυελυσμὸν excitant. *Amigdalæ.*

Simul etiam & sub sterno antè visa est glandula Thymus dicta gallicè *la fagouë* fulciendis ibi vasis dicata. *Thymus.*

Explicatur etiam in ore Vuëa, pars quæ tanquàm vocis plectrum in finibus faucium propendet. *Vuea.*

Neruus hic etiam est è tertia συζυγία & coniugatione arteriæ caroditæ contiguus ad iugulum ascendens, qui per axillarem arteriam vno ramo reflexus recurrentem seu reflexum ramum vtrinque facit, quibus dissectis vocem in cane deperire sumus experti. *Neruus recurrens.*

Visuntur & hac antica colli parte Venæ iugulares & Carotides arteriæ, atque tandem Oesephagus seu Gula ab ore & faucibus ad vẽtriculum descendens, per quem cibus ab ore mansus delabitur, vbique Asperæ arteriæ contiguus, vnde becchica nostra re- *Venæ iugulares.* *Oesephagus.*

media, quæ ſenſim deglutiuntur, aliquid opis ferunt Aſperæ arteriæ & pulmonibus, cùm duę hæ partes, Aſpera arteria & Oeſephagus, ſint contiguæ.

Poſteriores tandem & poſticæ partes colli ſunt muſculi caput & collum extendentes: de quibus in myologia copiosè ediſſerunt Anatomici. Vt & de ſingulis dorſi vertebris in Oſteologia.

Admonitio. Inſtituti ratio non patitur fuſam & copioſam enarrationem eorum, quæ ſunt in vaſto Anatomes opere, de oſſibus, cartilaginibus, vinculis, muſculis, tendonibus, venis, arteriis, neruis. Propoſitum enim ſolum eſt in rudiorum gratiam prę̨cipua viſcera, & partes in corporis trunco præcipuas delibare. Si qui ſint, qui hoc dulci ſed admodùm laborioſo ſtudio magnoperè delectentur: ſciant inchoandum opus ab oſſiũm diligenti inſpectione, deinde accedant ad partes propoſitas ſingulares, idque ſedulò, aſſiduaque ſectionis exercitatione & partiũ in diuerſis corporibus αὐτοψία. De his enim legere ſolùm, aut audire, ſomnium eſt: At videre & tan-

gere est rem ipsam, vt est, cognoscere. Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur, ait Christus apud D. Ioan.

PARTIVM CAPITIS enumeratio.

ENARRATIO VIII.



AM sequitur tertia corporis humani pars dignitate & elegantia omnium princeps & regina. In capite sedet Pallas pro tribunali, & è capite vt è regia, vtrumque tempus & bellorum & pacis rectè ducit atque gubernat. Caput ergò vocamus quod colli prima vertebra & vertice seu extima capitis superficie circumscribitur. Diuiditur autẽ in partem capillatam & partem capillitio nudam, hoc est, in Caluariam & Faciem. Dicamus primò de Caluaria, post de facie. Caluariæ ergò partes sunt, aliæ continentes, aliæ contentæ. Continentes

Capitis diuisio.

Caluariæ partes.

iterùm, aliæ communes, aliæ propriæ. Communes ſunt, pili, cutis, & panniculus carnoſus. Propriæ ſunt oſſa cranij, & duæ meninges, craſſa & tenuis. Iam de ſingulis.

Anterior Caluariæ pars βρέγμα dicitur ſeu ſinciput, poſterior ἰνίον occiput, media κορυφὴ vertex, laterales κρόταφοι ſeu tempora. In primis ergò explicantur pili, quorum materia fuliginoſus vapor, tertiæ coctionis eſt excrementum. Cauſa efficiens, moderatus calor, color humori prædominanti ſimilis: factique pili ſunt ad ſubiectarum partium tutelam, capitis expurgationem, ſed ad ornatum quammaximè.

Pili.

Panniculus carnoſus hîc peculiaris eſt & in fronte. Partes enim iſtæ in homine corrugantur, ſenectutiſque ſunt indices. Reliquo autem corpore Panniculus hic membranoſus eſt & adhęrens, non muſculoſus & carneus, vt in Equo, Aſino, belluiſque aliis, quæ dum ſe ſuccutiunt ſępè ſeſſores incautos excutiunt.

Panniculus carnoſus.

Pericranium.

Continentium autem partium pro-

priarum prima eſt Pericanium membrana,quæ os caluariæ extrinſecùs inueſtit, hæc ab interna dura meninge habet originem, fit enim ex illius filamentis per rimas & ſuturas oſſis caluariç exeuntibus.

Cranium autem ſeu os Caluariç eſt veluti galea cerebri, os quidem craſſum, rarum, leue, multiſque ſuturis diſtinctum,quod totum cerebrum obuallat tegitque, de quo in Oſteologia. *Cranium.*

Adaperto caluariç oſſe,prima mẽbrana ſeſe offert, quæ Dura mater & craſſa meninx dicitur: cuius figura & magnitudo oſſibus caluariç vndiquè ęquatur, vndiquè etiam duplex eſt. Reduplicatur in capitis vertice, diuiditque ſupremam cerebri partem in dexteram & ſiniſtram. Quę reduplicatio à falcis ſimilitudine, qua ſegetes demeti ſolent, falx dicitur, falcatæ Lunę quid ſimile. Reduplicatur, imò quadruplicatur iterum, in poſtrema cerebri parte magnum cerebrum à cerebello diſterminans. *Dura mater.* *Falx.*

Inter iſtas durę meningis διπλόας *Torcular.*

apparent quaſi ſinus quatuor, in quos ſanguis è iugularibus effunditur, ex quibus in cerebrũ diffũditur. Fit enim ex quatuor dictis ſinubus quaſi riuus quidam ad longitudinem ſuturę ſagittalis vſque ad oſſa naſi cribroſa, quâ facilè ſanguis allabitur, Torcular ſeu Ciſterna vocatur. Dura ergò meninx tegit, conſeruat, fouet cerebrum, & illi ſuppeditat alimentum.

Pia mater. Succedit Pia mater, λεπτὴ μῆνιξ, quę eſt veluti cerebri ſecundina myriadibus intexta plurimis, totum illa cerebrum ambit, illique adhæret. His ergò duabus membranis tegit Natura cerebrum, ne ſcilicet molle duro collideretur: eſſet & cerebri ſubſtãtia compacta, & quia mollis eſt, ne offenderetur oſſis duritie & ſiccitate.

Medulla cerebri. Leuiter ſublata Pia meninge, magna illa & ampliſſima cerebri medulla ſe dat oculis, magnitudine duobus boum cerebris grandior: ſubſtantia alba, cineritia, molli, fluxili, pinguedini ſimili, minimùm tamen habet pinguis glutinoſi multùm. Hæc eſt omnis animalitatis ſedes, ſenſus, iudicij, mo-

tusque omnis ergaſtirion : ſpirituum animalium theſaurus, animæ noſtrę tribunal, Palladis & ſapientię emporiũ, hîc illius arma, hîc currus fuit. Vniuerſum ergò cerebrũ caluaria contentum, & ſi vnicum, duabus tamen partibus diuiſum intuemur in anterius videlicet & poſterius. Anterius Ἐγκέφαλον Cerebrum, poſterius παρεγκεφαλίδα Cerebellum nuncupatur. Cerebrum item in partẽ dextram & ſiniſtram, reduplicatione meningis & falce à nobis ſuperiùs deſcripta, dirimitur. *Cerebrum. Cerebellum.*

Ad huius finẽ, cumque falx deſinit, trium nempè aut quatuor digitorum profunditate ſubſtantiam cerebri ſi exſcindas, reperies in primis calloſũ corpus τυλλῶδες σῶμα durũ corpus, & ſubſtantiam cerebri iam ſuprà à falce diuiſam cõtinuans, vnde deinceps æquale cerebrum eſt. Calloſum ergò corpus in medio cerebri, hoc eſt, inter ſupremũ & imum, geminis ventriculis, dextro & ſiniſtro ex cauatum videbis, quos anteriores ſeu ſuperiores vocant, auriculę humanę aut falcatę lunę nonadmodũ diſſimiles, ſunt ſpiritus animalis ἐργαςή- *Calloſum corpus. Ventriculi ſuperiores.*

ea, expirationis & inspirationis cerebri canaliculi, odorum receptaculi.

Plexus choroides. Ibi plexus choroïdes reperitur, venularum & arteriarum labyrintus, in quo maximè elaborantur animales spiritus. Rete etiam mirabile dici potest.

Processus mamillares. Ab his sinubus duo processus, quos mamillares vocant, ad narium cribrosa foramina mittuntur, odoribus excipiendis dicata, & odoratus ideo instrumenta. Recta etiam per eosdem processus ad nares, mucosa cerebri excrementa deturbantur.

Septum lucidum. Non est autem discedendum ab hisce ventriculis intacto eorum interstitio, quod Septum lucidum, aut lapidem calaminarem vocant.

Tertius ventriculus. Iam ab istis duobus ventriculis tertius se offert, cui substratum est corpus quoddam cameratum fornicum ędificiis non absimile, ideo Fornix, & *Fornix.* Testudo vocatur, quod Athlantis more cerebrum sustinet. Et de subdito sibi ventriculo gemini emittuntur ductus, quorum alter in cerebri basim, alter in quartum ventriculum se insinuat.

A primo ergò ſinu, contendimus in cerebri baſim, vbi reperitur Infundibulum ſeu peluis πύελον κοάνην vocant, per quod tanquàm per Hippocratis manicam, quâ vulgò vinum dulcoratur, cerebri pituita tranſcolatur in glandem pituitariam huius excrementi bibulam, quà tandem per os palati Cuneiforme dictum ſeu Baſilare os, in palatum ſtillat: vnde πτύαλον & ſputum. *Infundibulũ.* *Os baſilare.*

Ad latera apophyſεων Baſilaris oſſis, toto detracto cerebro animaduertunt plexum & Rete quoddam, quod vulgus Anatomicorum Rete mirabile vocat, in quo cenſent multi, ſpiritus animales fabricari. Alij quibus facilè aſſentior, tale munus impertiunt ſuperiori Reti in ventriculis cerebri reperto. Adhuc ſub iudice lis eſt, liberum ſit vnicuique in campo naturæ ſpatiari, eiuſque miranda ſecreta pro cuiuſlibet captu deregere. *Rete mirabile.*

Pergamus ad quartum ſinum ſeu ventriculum, quo nos manu ferè ducit tertij ventriculi ductus: ſed illa via offendimus primo, Conarium ſeu *Quartus ſinus.* *Conarium.*

glandulam turbinatam pineæ nuci non absimilem.

Nates. Conario vtrinque contigua sunt à tergo, corpuscula quędam rotunda & dura, Nates dicuntur à forma, sub quibus duo testes apparent seu didimi. *Didimi.* Sũt certè admirabilis structuræ, partes hæ omnes, illasque Anatomici censent à natura ita formatas ad facilitatem transitus spiritus animalis à tertio ventriculo ad quartum.

Quartus autem sinus cerebro & spinali medullæ communis est, ita efformatus, vt initio amplior, tandem abeat in acumen, hunc Calamum vocant. *Calamus.*

Cerebellum. Hinc inde Cerebellum patescit, decuplo magno cerebro minus. Est enim eius quasi fulcrum aut appendix, quo partes posticæ cerebri fouentur.

Septem paria neruorum. His ita distinctè & quasi acu tactis à Dissectore, septem paria & coniugationes neruorum, quorum venit scaturigo à postrema cerebri parte, demonstrantur: de his vulgare distichon est.

Optica prima oculos, mouet altera, tertia gustat.

Quartaque

Quartaque, quinta audit, ſexta vaga, ſeptima linguæ eſt.

Sexta illa vaga abundè corpori toti communicatur. Nulla enim vel minutiſſima corporis pars eſt, quæ ab ea neruorum ſurculos non mutuetur, ſi non ad motum, ſaltem ad ſenſum: ad motum enim maiori indiget ſubſidio. Ideoque natura μυελὸν ῥαχίτην ſpinalem medullam erexit, quę vt in nauigio carina, trabes & funes, ſic hæc in humano corpore coſtas ac neruos ſuſtinet. Alterum eſt cerebrum ſpinalis medulla, σύριγξ ἱερὰ ſacra fiſtula quia magna, & toti corpori vſui futura, infiniti etenim nerui ab illa propagantur. Conſpicui tamen ſeptem ceruicis, duodecim dorſi, quinque lumborum, ſex oſſis ſacri dinumerantur. De quibus ampliùs in ſyndeſmologia & ſermone de neruis, quod Anatomicis relinquamus. Sat igitur de iis, quæ in caluaria reperiuntur, deſcendamus ad faciem ſimili ſtylo, & eadem breuitate. *Sexta vaga.* *Spinalis medulla.* *Nerui.*

In continentibus faciei ſunt oſſa quædam, ſunt & muſculi, de quibus in oſteologia & Myologia. Contentæ *Facies.*

autem in facie partes sunt maximè quinque sensuum organa. Verè tamen Tactus organum habet diffusum per totam corporis cutem, ita enim necessariò dispersus est sensus hic, cui nempè corporis tutela delegata est, & ab omnibus externis iniuriis præseruatio.

Organum tactus.

Olfactum faciunt duo iam explicati mamillares processus, in anteriore cerebri parte ad ossa cribrosa narium. Allicit ad se aridorum odores cerebrũ. miro naturæ artificio quia humidũ est & sicco indigens. Instrumentũ Gustus est lingua aut eius tunica cum neruo ex quarta combinatione deriuato, per quem spiritus animalis ad linguam defertur.

Organum olfactus.

Organum gustus.

Sequuntur duo nobilissimi sensus, Visus, & Auditus. Organum visus ita fabrefecit natura, vt seipsam superauerit. Constat enim omni genere partium, quarum aliæ visionem primò faciunt, aliæ iuuant, aliæ conseruant: quæ ratio veri organi est, cùm partium varietate instruitur. Constat Oculus, musculis, tunicis, & humoribus; Et musculi constant carne, neruis,

Organum visus.

venis, fibris, arteriis, & tunicis. Nulla eſt ergò ſimplex & ſimilaris pars toto corpore, quæ in paruulo orbitæ centro, ad diuinam oculi fabricam, non reperiatur. A muſculis incipit demonſtratio Anatomica. Sunt Muſculi in oculo ſex, quatuor recti, duo obliqui. *Muſculi oculorum.* Rectorum primus attollens & ſuperbus, mihi ſuperciliosus dictus: ſecundus deprimens oculum & humilis, mihi terrenus: tertius adducens & bibitorius, mihi ſtudioſus: quartus abducens & indignatorius, mihi excubitor. Sex etiam Oculorum tunicæ enumerantur. *Tunicæ.* Prima Coniunctiua ſeu Adnata dicitur, quæ oculum orbitæ adnectit. 2. Cornea, pellucida & polita, vt cornu. 3. Vuea, quæ vuæ acinum repræſentat, hæc variè colorata eſt, & eius ambitus dicitur Iris. 4. Aranea 5. Reticularis. Quæ duæ cryſtallinum humorem inueſtiunt, vt poſtrema, quæ Vitrea dicitur, vitreum calorem. Tres *Humores.* etiam ſunt oculi humores, in externa parte eſt Aquëus, in poſtrema Vitreus, in media ſedet & viſionis author Cryſtallinus humor.

Organum auditus. Sed iam ingrediamur lapidosum Os temporũ, in quo omnis auditio perficitur. *Quatuor eius Cameræ.* In meatu auris sunt quatuor Cameræ. Prima deforis patet & est obuia, meatus nempè auditorius externus: in cuius fine *Tympanum.* Tympanum seu membrana pellucida siccáque reperitur, quæ multis auditus organum reputatur. Huic *Peluis.* secunda succedit cauitas, Peluis vel cochlea à conchiliorum similitudine nuncupata, in qua continetur aër ambienti consocialis, *Aer insitus.* insitus tamen & auri ingenitus: hunc censet Aristot. organum auditus. *Oßicula tria.* Sed dictu mirum, sunt in hac camera officula tria, veteribus minimè nota, quorumque vsus sat incertus est: eadem tamen magnitudine, tam in infantibus, quàm in senibus reperiuntur. Imposita est illis nomenclatura à forma Incus, Stapes, & Malleolus, quæ ad firmandum tympanum efformata omnibus ferè creduntur. In huius secundæ cauitatis extremo duæ sunt fene stellæ, per quas species audibiles ad alios sinus seu cameras traducuntur, & exitum præbent cerebri excretis. Tertia camera dicitur labyrin-

tus. Quarta cochlea. Omnes flexuosæ multisque meandris anfractuosæ, per quas delatus sonus acutior fit, vt exactiùs ad cerebrum deferatur. *Cochlea.*

Ita breui penicillo totius trunci corporis, triumque maximarum partium Ventris, Thoracis & Capitis, adumbrata est historia. Ad partes externas transeamus.

ARTVVM HVMANI CORporis, & eorum partium enumeratio.

ENARRATIO IX.



Equitur quarta Anatomes corporis humani pars, quæ artuum & partium extremarum historiã continet, manuum nempè & pedum. De manu differendum primò, eadem serie & stylo. Manus græcis χεὶρ dicitur, quæ vt dicebámus, cum de homine manum aridam habente loque- *De manu.*

remur) totum brachium à ſcapulis ad ſummos vſque digitos ſignificat Anatomicis. Manus enim illis diuiditur, in brachium, cubitum & extremam manum. Hæc autem in carpum, metacarpum & digitorum phalanges.

Et eius diuiſione.

In brachio ergò ſeu in tota manu, partes ſimplices nobis hîc cōſiderandę ſunt, oſſa, muſculi, venæ, arteriæ, nerui. Fundamentum diuiſionis brachij ab oſſibus deſumitur. Brachium enim diuiditur à cubito, & cubitus ab extrema manu, & hæc etiam in ſe ab articulatione, quæ maximè in illis differt. Brachium ergò vnum tantum os habet, idque magnum, *os adiutorij* vulgò dicitur. In cubito duo ſunt oſſa maius & minus: maius dicitur vlna ſeu Focile maius, & eſt inferius: minus ſuperius Radius dicitur. In manu extrema ſunt tres partes. Carpus, Metacarpus & digiti. Carpus ſeu brachiale habet octo oſſicula. Metacarpus ſeu poſtbrachiale quattuor, digiti quindecim.

De oßibus brachij.

Vnaquæque deinde pars brachij ſuos habet muſculos, quos antequàm

De ſcapularū muſculis.

demonſtremus,quoniam brachium nō poteſt moueri ſine ſcapularum adiumento, priùs videndi ſunt ſcapularum muſculi. Scapula igitur mouetur ſursùm,deorsùm, antè, retrò. Sursùm mouent duo, Trapezius & Leuatores proprij: Deorsùm duo,portio vna Trapezij & portio latiſſimi: antrorsùm ſerratus minor: retrorsùm Rhomboides.

De muſculis brachij. Brachium mouetur ſursùm, deorsùm,antè,retrò,& in orbem. Mouent ſursùm duo, Deltoides & Supraſpinatus: deorsùm duo,Latiſſimus & Rotūdus maior: antrorsùm vnus, Pectoralis: retrorsùm tres, Infraſpinatus, Rotundus minor,& Subſcapularis. *De muſculis Cubitus.* Cubitum deinde mouent quatuor muſculi, duo flexores,Biceps & Brachieus:totidem extenſores longus & breuis. Radium item duo muſculi pronatores, Rotundus & Quadratus, & totidem ſupinatores.

De muſculis Carpi. Carpus flectitur,extenditur & mouetur ad latera, flectunt duo, extendunt duo,omniū ſimul opera mouetur obliquè ad latera: quibus addunt Palmarem,qui eſt in vola manus. Digiti etiā

ſuos habent muſculos, flectuntur, extenduntur, adducuntur & abducuntur. Digitos flectunt duo, Sublimis & Profundus. Extendũt digitos muſculi quã plures, quos ad vnum redegit Siluius. Adducunt quatuor, lumbrici ſeu vermiculares. Abducunt interoſſei ſex. Pollex digitus ſuos habet etiam muſculos, duos flexores, duos extenſores, tres adductores, & totidem abductores.

De muſculis digitorum.

Venę vniuerſæ manus.

Venæ, arteriæ, & nerui plures ſunt in brachio, omnes tamen venæ brachij vnam habent ſcaturiginem, nempè ab axillari vena, quæ eſt ramus venæ cauæ aſcendentis ſubclauiæ, de qua ſuperius diximus. Non notauimus tamen ex ramis cephalicæ venæ ad externas manus partes, inter paruum digitum & annularem, reperiri vulgarem venam Arabibus Medicis, ad curandam quartanam & melancholicos affectus, Saluatellam dictam. Hanc autem vſui profuturam crediderim, cùm agenda eſt reuulſio ad diſtantes partes: alioquin electio vnius, vel alterius venæ in brachio, tanquàm ad hunc vel

illum affectum commodior, somnium est, cùm harum omnium vna Axillaris sit origo.

Arteria manus.

Arteriæ autem plures sunt, vsus tamen solas quasdam profundas, alias cutaneas notat, omnes ex axillari ramo prodeuntes. Cum basilica vena, etiam basilica arteria aliquando insectione venæ concurrit. Quæ micat in carpo arteria est surculus quidam subcutaneus. Per manum etiam sex paria neruorũ disseminãtur, omnes ferè cubitum perreptant, & ni attactu periti Chirurgi distinguant neruos à venis, periculum est ne loco venæ neruum vulnerent, vnde periculosa brachij conuulsio cõtingit. Sic incautè sauciatum neruum in brachio Henrici 2. Galliarum regis, à chirurgo sectionem venæ in illo, ex Medicorum præscripto celebrante, narrat Pareus.

Nerui manus

Historia.

De pede.

Sequitur artuum inferiorum narratio, quæ eadem absoluetur breuitate. Pes igitur græcis πoὺς partem illam cõprehendit, quæ est à coxendice & ventre inferiori ad extremos vsque digitos. Pedis igitur vt manus sunt partes.

Prima eſt femur, in quo eſt vnum os magnum cum coxendice articulatum, Femur dictum. Secunda Tibia, in qua ſunt duo oſſa, tibia ſeu focile maius, & fibula ſeu focile minus. Tertia eſt propriè Pes quo gradimur, in cuius tarſo sunt oſſa ſeptem, in metatarſo 5. in digitis 14. & duo pollicis. Conſtat etiam Pes iiſdem partibus, quibus manus.

De muſculis femoris.

Femur in primis flectitur, extenditur, adducitur, abducitur, & circumagitur. Flectunt duo, Pſoas & Iliacus, extendunt tres, totidem adducunt, & ſex abducunt, muſculi quadrigemini & duo obturatores, circumagitur verò omnium dictorum muſculorum opera. Similiter Tibia flectitur, extenditur, adducitur, abducitur, flectunt quatuor poſtici appellati, extendunt totidem Rectus, Vaſti duo & Crureus, adducunt duo Longus & Popliteus, abducit vnicus, qui dicitur membranoſus. Pes etiam flectitur, extenditur, flectunt duo, Tibieus anticus, & Peroneus, extendunt quatuor Gemelli duo, So-

De muſculis Tibiæ.

De muſculis pedis.

leus, & Plantaris. Ex tribus primis dum coeunt fit corda Hippocratis, cuius vulnus eſt cum magno periculo retrò malleolum. Digiti pedum habent etiam ſuos muſculos quibus flectuntur, Magnus & Minor. Quatuor digiti, vno muſculo extenduntur, adducunt quatuor Lumbrici, abducunt Interoſſei. Pedis pollex ab vno muſculo flectitur, ab alio extenditur, adducitur vno, abducitur alio.

De venis pedis.

De venis, vt venæ brachij, ex axillari ramo aſcendentis cauæ oriebantur, ſic deſcendentis venæ cauæ ramus iliacus, vbi à lumbis deſcendit, in crura contendit, & ramos Crurales progerminat innumeroſa ſobole per Femur, Tibiam, & extremum Pedem. Deſcribit Laurentius ex Siluio, ſex famoſiores pedis venas, quas vſus notauit, Saphenam, Iſchiam minorē, Muſculam, Popliteam, Suralem, Iſchiam maiorem. Nerui etiam quatuor inſignes per totum pedem fruticantur, ex tribus poſtremis partibus lumborum & oſſe ſacro.

Ita fauente Chriſto, abſoluta eſt

breuis & compendiosa Microcosmi historiola. Non sum soluendo in integrum. Quis persoluit?

DE FACVLTATE NATVRALI & vitali.

ENARRATIO X.

Quibus facultatum corporis nostri sit necessaria cognitio.



Arùm prodesset Medicæ artis vidisse principia, & omnes corporis partes sigillatim lustrasse, nisi earundē partium facultates & actiones in dinumerato haberentur. Hoc quidem est opus Physicum, sed Medico & iis omnibus quibus de rebus naturalibus studium est apprimè necessarium. Non enim potest cognoscere morbos, & eorum symptomata, qui hæc ignorat. Actiones enim læsæ morbos ostendunt, cùm sint earum præcipua signa. Et excrementa, doloris proprietates, & propria partium accidentia, ferè ab actione læsa depen-

dent. Vide ergò quanti ſit momenti actiones ſingularum partium dignoſcere.

Tres vniuerſas noſtri corporis regiones vidimus. Caput, Pectus,& Ventrem : in quibus tres præcipuæ, & nobiliores partes locantur cerebrum, Cor, & Iecur. Quarum tres facultates maximas functiones edunt. E cerebro prodit omnis animalitas, micat in pectore, Cor ad vitam, & in ventre iecur omnem nutritiam, & naturalem facultatem continet. Cerebro eiuſque facultati animali,omnes nerui & muſculorum propagines inſeruiunt. Pulmones & arteriæ vitalem cordis facultatem promouent. Ventriculus,inteſtina, lien,renes,& venæ omnes,iecori & nutritiæ facultati opitulantur. Datur & facultas conſeruandæ ſpeciei teſtibus, in quibus ſeminis conficiendi & generandi reſidet vis,cuique vaſa multa ſpermatica, cùm deferentia, tùm præparantia deſeruiunt.

Tres eſſe facultates præcipuas.

Quarta princeps facultas.

Incipiamus iam à Nutrice, minutiùs omnia proponere. Etenim natulis facultas cæterarum omnium facul-

De Naturali facultate.

tatum radix eſt, & naturæ inſtituto prima. Diuiditur autem in alias tres, Procreatricem ſeu generantem, Au-ctricem,& Nutritiam.

De procreatrice.

1.de nat. fac 6

Procreatrix iterùm, Alteratrice & formatrice conſtat Galeno. Procreatio etenim motio eſt ad nouam ſubſtantiã ducens,quod non poſſet ſine commutatione & alteratione fieri. Ita formatio alterationem ſequitur, quæ eſt geniti animalis congrua delineatio, & partium eius in ſitu, cauitate,figura,& connexu, decens poſitio. Non eſt ergò generatio ſimplex viri cum muliere commixtio, ſed in vtriuſque ſemine, formæ de potentia in actum promotio. Quæ vis è teſtibus primum exorta in materno campo vires ſuas exerit, vbi conceptus naturalitatem omnem, vitam, motumque adornat. Hæc autem procreatrix facultas, cùm ſuo functa erit officio in effingendo fœtu, tunc feriata ſilet, ac nutritionis officium ſagax Natura init.

De nutrice.

Vegetat ergò, & circà alimentum negotiatur τρεπτικὴ, & naturalis facultas: Cuius incœptum eſt conco-

quere, sed intentum omne partibus assimilare nutrimentum. Ad concoctionem & πέψιν concurrunt subseruientes facultates quatuor. Attractrix, Retentrix, Concoctrix, & Expultrix. Concoctrix calore vtitur vt instrumento: Cæteræ fibris indigent, & Attractrix longis, Retentrix obliquis, Expultrix trãsuersis omne opus conficiũt. Attrahitur à partibus corporis alimentum, attractum retinetur, retentum coquitur, vbi coctum est, residuum coctionis & excrementum omne expellitur. Id perspicuum est in omni coctione. Nam in prima quæ fit in ventriculo, & dicitur chylosis, attrahitur à ventriculo cibus ab ore & dentibus premansus, attractus retinetur, nec inde incoctus excidit aut descẽdit, nisi cũ chylus bene elaboratus est, quo tẽpore expultrix reliquias cibi amãdat in aluũ. Ita & Hepar, vbi fit sanguificatio, & αἱμάτωσις, quę est 2. coctio, attrahit à venis mesaraicis chylũ, in sãguinẽ mutat, & statim per venas, tãquã per tubos & canales distrib[illegible] rp⁹ vniuersũ. [illegible] quæ veram

De prima coctione in ventriculo.

De secunda in hepate.

quæ fit in habitu corporis. nutritionem absoluit in singulis partibus, à quibus manifestò fit attractio, non promiscuè & indifferẽter, sed singulæ trahunt sibi familiare & amicum alimẽtum, nutrientis enim cum nutrito necessario intercedit similitudo. Aliæ enim partes puro alimento, aliæ crasso & turbido, aliæ tenui & halituoso, nutriuntur. Fit autẽ in tertia hac coctione diuersa denuò alimẽti mutatio. Cùm enim è venis sãguis excedit, allabitur partibus, vt ros. Allapsum adhuc exquisitiùs tenuatur, & fit quod Arabes vocant cambion. Id agglutinatur, & tandem incrassatur vt gluten tuncque assimilatur, in quo tertia coctio, imò vera nutritio consistit. Excernit & in ista coctione naturalis facultas superflua, cùm per insensilem transpirationem, tùm & per manifesta cutis spiracula.

Humores secundarij.

Hipp. ænigma explicatur.

Hinc clarum habebis Ænigma Hippocratis. *Alimentum verò* (ait) *quod hoc nutrit, alimentum est; & quod veluti nutrimentum est, & quod nutrimentum futurum est.* Eius habes perspicuam explicationem apud Galen. Si quidem (ait)

Lib. de Alim.

1. de Natura. lib. facultatib. cap. 10.

(ait) quod iam aſſimilatur, nutrimentum appellauit, quod verò tale eſt quale illud, nempè appoſitum agglutinatumque veluti nutrimentum, reliquum omne, ſiue id in venis contineatur, ſiue in ventre futurum nutrimentum. Tandem eo loci concludit Galenus neceſſe nutritionem eſſe aſſimilationem nutrientis & quod nutritur.

Quid nutritio

De Auctrice facultate.

Poſt nutritiam, ſenſu ſe dat in apertum Auctrix facultas: cuius officium eſt quod iam natum eſt & generatum, manente eadem forma, in omnem diſtentionem efferre. Hoc autem ſolius naturæ munus eſt, nec eſt in arte hominũ, ſeruata eadem continuitate, aliquid extendere: fit autem accreſſio ſecundum omnes partes ſolidas, tuncque corporis ſiſtitur incrementum, cùm nempè oſſa robur omne adempta fuerint. Accreſcendi autem limites appoſuit natura, certo & determinato ſingulis rebus confinio.

De Generatrice facultate, paucula quædam initio huius 2. partis à nobis enarrata ſunt. Reliqua quæ poſſent deſiderari, paſſim reperies. Abſolutâ ergò

naturali facultate ad vitalem transire dictat ordo naturæ.

De facultate Vitali.

Vitalis autem facultas, quæ sedet in pectore, è corde per arterias, spirituum vitalium ope, in omne corpus traijcitur. Atque huius viuificæ facultatis tres sunt functiones, quæ vitam complent & absoluunt. Affectuum concitatio, Pulsuum effectio, & Spirituũ vitaliũ generatio. Vt enim actio nutriens & τρεπτική fuit in iecore, ita θυμώσης & irascibilis in corde. Pulsus, Diastole id est arteriæ eleuatione & distensione, Systole & depressione constat, in quo facultas vitalis elucet, cuius munus est, spirituum vitalium ope, dare vitam, eamque cum pulmonibus, inspiratione & expiratione conseruare. Hoc vt dicatur apertiùs, de spirituum vitalium generatione adeunda est iucundissima contemplatio. Vim creandi spiritus vitales natura posuit in sinistro cordis ventriculo, ex tenuiore sanguinis parte qui ex dextro in illum, miro naturæ opere, per septum medium transcolatur. Causa spiritus efficiens, est constans & perennis præ-

De generatione Spirituũ.

dictus motus cordis & arteriarum. In ſpiritu autem calor ineſt, iſque vitalis & viuificus, qui ad ſui tutelam flabellum pulmonis expoſcit, vt aëris frigidi occurſum accerſat: Calidum enim, ait Hippoc. frigido moderato nutritur, eoque conſeruatur: & vt ſcribit. Galen. Calor, ne euaneſcat euaporatione, perpetuo redintegratur frigore. In dilatatione enim cordis allicitur frigidus aër: In conſtrictione & ſyſtole, fuliginoſa ab officina ſpirituum excluduntur, ſicque ab iniuria tutatur author vitæ ſpiritus, & natiuus noſter calor. Sed de his ſatis.

De calore natiuo.

6. Epid.

DE FACVLTATE Animali.

ENARRATIO XI.



Ggredior facultatẽ animalem, quæ habet in cerebro functiones principes, & è cerebro per neruos omnem vim ſenſus & motus vni-

uerſo corpori impertit. Diuiditur enim ea facultas in ſentientem, & mouentem. Sentiens in internam & externam. Externa iterùm in quinque ſenſus, viſum, auditum, guſtum, odoratum, tactum. Interna in ſenſum communem, imaginationem & memoriam. Quibus ſi intellectum addas, hominis erit Anima ſuis facultatibus instructa & ornata. Facultates omnes internas quas rectrices, & principes vocant gratia breuitatis ad Philoſophum anamniſticum remitto: Et de motrice ac illius diuiſione practica fiet enarratio in 3. parte ſequenti, vbi de conuulſione. Sufficiat ergò hîc cerebrum ſenſus & motus omnis principium intelligere: Et quoties de facultatibus internis læſis, vt de memoria aut ratiocinatione erit ſermo, abſque vlla diſtinctione partium cerebri, totum cerebrum lęſum eſſe intelligere: Etiam ſi multis viſum ſit lædi memoriam in poſteriore cerebri parte, alias autem facultates in medio & anteriori parte.

Animalis facultatis diuiſio.

De ſenſibus externis diſſerere nobis neceſſarium, fuit enim diſcurſus de

cæcis, surdis, mutis, qui antè à Christo miraculosè sanati, incurabiles arte nostra iudicati sunt. Sensus visus & auditus sunt nobiliores, & vt dicit Baldus, reddunt certiores homines. De iis ergo primò, sed breuiter dicamus.

In proœm. decretal.

De instrumento, obiecto, & medio visus.

Sensus autem externos ita fieri breuiter intelliges, si supponas & apponas singulis obiectum, ad quod per medium influit facultas. Sic obiectum visus duplex est, commune & proprium. Commune est quod & aliis sensibus competere potest: Quod est quintuplex, motus, quies, numerus, magnitudo, figura. Proprium autem est, lux & color. Medium autem, perquod repræsentatio obiecti sensibilis nempè coloris aut lucis ad oculum defertur, est aër aut aqua. Instrumentum autem est oculus, sed præcipuè humor Crystallinus, qui per opticum neruum species visiles acceptas ab obiecto ad cerebrum defert.

Sic de auditu.

Obiectum auditus sonus, est vel rectus & simplex, vel multiplicatus & reflexus, vt Echo. Medium est corpus διηχὲς personabile & sonans, vt ignis,

aër,aqua, & omnia quæ transmittuntur. Organum autem est aër auribus ingenitus,de quo suprà in anatome.Fit auditio sic. Cùm ab aëris ictu inuehitur sonorus aër ad auris aërem ingenitum, ea motio pulsat Tympanũ, quod strepit,ac personat,& per neruũ quinti paris auditæ species ad cerebrum euehuntur, vnde auditio & ἀκοὴ.

De Odoratu. Non longè distãt ab aure nares,quibus allicit ad se aridorũ odores cerebrum miro Naturæ instituto, quia est humidum, & à bonis odoribus superflua cerebri humiditas euanescit: quoniam exsiccando & illustrando spiritus mirè recreant & oblectamento expergefaciũt. Obiectũ ergo Olfactus odor est. Mediũ, per quod animal odoratur, primarium est Aër, secundarium Aqua. Instrumẽta sunt processus mamillares ab anterioribus cerebri ventriculis, instar mamillarũ prodeuntes. Fit ergò odoratus cũ halitus aut vapor ab obiecto corpore per nares ad meatus mamillares & inde ad cerebrum euehitur.

De gustu. Obiectum gustus est τὸ γευτὸν, id est, Sapor. Medium gustus est humor seu

ſaliua in carne linguæ muſculoſa & fungoſa. Inſtrumentum guſtus eſt lingua, aut eius tunica cum neruo ex quarta combinatione deriuato, per quē ſpiritus animalis ad linguam defertur. Fit ergò guſtus ſic. Cùm liquidum ſpongioſo corpori linguæ admouetur, eius imago vi ſpiritus animalis ad communem ſenſum defertur.

Reſtat Tactus ordine vltimus, ſed omnium certè neceſſitate primus. *Sine enim tactu demonſtratū eſt* (ait mirus Ariſtoteles) *quod impoſsibile eſt animal eſſe.* Organum ideò Tactus habet diffuſum per vniuerſam corporis cutem, & ita neceſſariò diſperſus eſt ſenſus hic, cui nempè corporis tutela delegata eſt ab omnibus externis iniuriis. Obiectū autem Tactus eſt τὸ ἁπτὸν qualitas afficiēs, ſeu patibilis tā prima, calor, frigus, humiditas, ſiccitas: quàm ſecūda, durities, mollities, aſperitas, lubricies. Medium Tactus eſt cuticula & cutis. Eius inſtrumentū neruus eſt per cutem diſſeminatus: eſt enim cutis, veluti ſanguine prędictus neruus, quòd mediā inter carnem neruumq; naturā ſit adepta, & ex

De Tactu.

3. de Anima c. vltimo.

paribus eorum portionibus quodammodo composita. Fit ergò tactus, cùm qualitates sensibiles calida, frigida, mollis, dura, & similes, sensiles & neruosas partes feriunt, quibus est magnum cum cerebro commercium.

Quid ad sensationem desiderentur.

Ita certè singuli sensus de suis obiectis syncerè & integrè pronuntiant, dum hæc tria bellissimè concurrunt. Organum benè temperatum, medium non impeditum, legitimè & ex æquo distans obiectum. Quorum vnum si desideretur, sensus non potest esse æquus Iudex & æstimator eorum quæ percipit.

DE REBVS NON-NATVRAlibus, ex ὑγιεινὴ secunda Medicinæ parte.

ENARRATIO XII.



ON reperiet sanitatis tutelam, nec morborum externas dignoscet causas, qui rerum non-naturalium vsum ignorabit. Ab

his enim, si moderatæ sint, conseruamur, si excedant; destruimur. Has senario numero describit Galen. sunt ergò aër, cibus & potus, somnus & vigilia, excreta & retenta, exercitationes, & animi pathemata. Quas tamen alij ex Hipp. in aëre & cibo breuiùs designant. Ab aëre enim & à cibo acriùs citiusque immutamur: non minùs tamen cæteræ aliquando vrgent, & pariunt morbos. *Rerum non naturalium numerus.*

Τ' ὑγιεινῆς ergò quædam summæ leges proponuntur, vt in singulis sit exercitatio. Prima sit. *Similia similibus cōseruātur.* Corpus enim nostrum cùm benè constitutum est, similibus gaudet, & à contrariis afficitur. Similitudo etenim amicitiam, amicitia desiderium & attractionem parit. Quæ autem contraria sunt copulari simul non posse, physicum est Aristotelis pronunciatum. Altera lex sit. *Cibus, potus, somnus, vênus omnia sint mediocria.* Hæc est Hippocratis, vt & tertia quæ sic est. *Studium sanitatis est non satiari cibis & impigrum esse ad labores.* Quibus certè legibus non ægroti solùm, sed & sani se obli- *Leges ad sanitatis tutelam.* Lib. de Salub. dieta. cap. 85. Artis per. 2. degener. c. 3 tom. 16. 6. Epid. f. 6. v. 6. Epid. f. 4. 20.

gare debent. *Varium quidē vitæ genus hominem sanū decet* (vt ait Celsus) *modò ruri esse, modò in vrbe, sæpiùs in agro, nauigari, venare, quiescere interdum, sed frequentiùs se exercere.* Modò scilicet temperati rationes & limites non excedat. Atque de cæteris rebus, quæ sanitatem seruant aut eam demoliuntur, soliciti sint.

Lib. 1.

De Aëre. Quis enim tam firma sanitate cōstitutus est, quem insolens aër & impurus substantiâ, aut qualitate immoderatus nō euariet? Quos venti insolētes, &aura grauis, fœtida, è loco impuro exhalans, contagiosa & pestilens non immutant? Est in multis, idque si fieri potest, citò præcauendum, longè fugiendum, & tardè redeūdum. Illud τὸ θεῖον Hippocratis, quod ab aere petitur Galeno, quoties epidemicos illos insultus, & pestilentes tēporū constitutiones excitat ac impellit? Inspiram⁹ necessariò vbique, & aërem de cœlo ducimus, & qualis aër, talis spiritus, vitæque author calor insitus noster.

1. Prog.

De cibo & potu. Cibi etiam nos conseruant & immutant, etsi seriùs aëre, qui si à laudata eorum substantia, qualitate, quanti-

tate, ordine,& vtendi ratione deuiant, indè ſanè grauis morborum fœtura eſt & ilias. Vitandos iubet Socrates cibos & potus in vniuerſum, qui vltrà ſedandam famem & ſitim,appetentiam producunt. In his ergò ſit ſummus delectus & parſimonia. Audi Scholam. Maccrob. 7. Saturn. c. 14.

Si cupis eſſe ſanus, ſit tibi parca manus.

Audi ſermonem ſapientiſſimum. *Quotidiano dilectiſſimi experimento probatur, potus ſatietate aciem mentis obtundi, ciborum nimietate cordis vigorem hebetari, ita vt delectatio edendi etiam corporum contraria ſit ſaluti, niſi ratio temperantiæ obſiſtat illecebræ, & quod futurum eſt oneri ſubtrahat voluptati.* Quæ ſententia hac lege firmatur. *Vbi cibus præter naturam plus ingeſtus eſt, hic morbum facit.* Et iſta quæ temperandi cibi leges alias omnes claudit, totamque vitæ rationem comprehendit. *Non ſatietas, non fames, neque aliud aliquid quod modum naturæ exceſſerit bonum.* De Leon. Sermo. 8. de Ieiunio. 2. Aphor. 17. 2. Aphor. 4.

Iam de Somno hæc ſit ratio. Magis

De somno & vigilia. dormire quàm vigilare Glirium hæc vita est, de quibus Martial.

Tota mihi dormitur hyems, & pinguior illo
Tempore sum, quo me nil nisi somnus alit.

Præstat, contra voluptuosorum & aulas modo inhabitantium non tam mores quàm amores, noctu dormire, vigilare die. *Qui malè agit, odit lucem.* Luce ad vigilandum hortantur cœli, dehortantur tenebræ, quæ suadent somnum.

6. ep. sec 5 11. *Quod est somnus visceribus, idem labor articulis & musculis.* Hic luce & die, ille

2. Aphor. 3. verò noctu appositè fit. Lex est *Somnus atque vigilia, vtrumque si modum excesserit, malum.* Post pastum etiam dormire, onerosum est: Nestori seni accommodum, qui

Ex Homero apud Galen. 1. de san. tuend.

Vt lauit sumpsitque cibum dat membra sopori:
Namq; hæc iusta seni.

Omni tamen aliæ ætati & tempori incommodum.

De exercitatione. Neque statim à pastu venies ad exercitium: *Labores cibum præcedant*, ait,

6. Epid. 4. Hippocrates si contrà feceris, morbi

generabũtur. Fatigatus etiam ab exercitio protinus cesset, ne plus æquo extenuentur spiritus & dissipentur. Cùm lassari, sudare aut dolere corpus cœperit, de mandato Hipp. desistendum. Caue etiam, ne impura corpora exercitationẽ subeant. Vt & impura corpora quò magis nutries, eò magis lædes. Extenuatos etiam à ieiunio, aut animi mœrore, aut labore, exercere non oportet. *Vbi fames, laborandum non est*, ait idem. Hipp.

2. de dieta.

2. Aphor. 10.

2. Aphor. 16.

Sed iam ab exercitationibus ad excreta & retenta veniamus. Quam periculosa sit sanguinis & humorum plenitudo, aut impuritas & cacochymia demonstrat Hipp. qui haud cũctanter talem plenitudinem soluẽdam esse præcipit. Studium Athletarum erat saginare corpus: sed vt ridebat Philopœmenes apud Plutarchum, quantò illis plùs cibi accedit, tantùm sanitatis & vitæ recedit. Concludit enim Hipp. refectiones & ἀναθρέψεις cùm extremæ fuerint, periculosas admodum esse.

De excretis & Retentis.

1. Aphor. 3.

Tandem vt de rebus non-naturali-

De animi perturbationibus

bus me absoluam. Cùm nemo possit esse ἀπαθὴς, quia nobiscum insunt, & connatæ animi perturbationes & pathemata. In his summoperè est necessaria moderatio, magnumque robur animi, ad domandos & frænandos impetus, quorum primos in nostra non esse potestate asseuerant. Hinc Euripidis Medea.

Cognosco quàm nefanda nunc patro mala,
Sed ira consilio est potentior meo.

Hector & Achilles succumbebant iræ, cui viriliter obsistunt, Vlysses, Polidadamas, Nestor armati ratione & mentis iudicio, ergò

Fortius est qui se quàm qui fortissima vincit
Oppida, nec virtus altiùs ire potest.

Acutè ille: Irasci non est morbus, sed esse iracundum, morbus est. Qui enim iracundus est, etiam cui non debet, aut cum non oportet irascitur. Sic in metu futuri mali quantùm frigescit corpus & horret? In dolore præsentis mali quantùm extenuatur? in cupiditate futuri boni quantum ardet cor? in gaudio præsentis boni vt æstuat

& geſtit immodicè.

Gaudia non remeant, ſed fugitiua volant.

Ita breuiter de rebus ſex non-naturalibus philoſophamur, quarum cognitio quàm ſit neceſſaria Medicis ſuadet ratio, teſtatur experientia. Alimentorum quidẽ & aeris vbiquè nobis primùm adeunda cognitio, ſed iis in locis precipuè vbi Medicinam facimus. Mihi ergò, Iudæos & Galilæos ægrotos à Chriſto D. curatos, enarranti, quo certa ſit nobis illorum vitæ ratio & conditio, tum cæteræ omnes ad benè medendũ indicationes ſe dent in perſpicuum, neceſſaria eſt ſedula & exquiſita locorum Terræ ſanctæ inueſtigatio, cùm in vniuerſum, tùm & in particulari. Atque de ſingulis aperienda cognitio. *Dicenda proponit.*

VNIVERSAE SYRIAE ET Terræ sanctæ descriptio.

ENARRATIO XIII.

Syriæ termini



Ncipiemus à descriptione Syriæ integræ, in qua terra sancta continetur, cuius longitudinem & latitudinem explicabimus, quaque in zona sit ac Climate dicemus. Continetur ergò Syria integra in zona nostra temperata, quæ est intrà Tropicum Cancri & Circulum antarcticum. Eius autem fines sunt à Tygride fluuio vsque ad Ægyptum. Habet nempè ad orientem Tygrim, versùs meridiem Ægyptum, ad septentrionem Natoliam, & versùs occidentem mare mediterraneum.

Eius diuisiones.

Syriæ autem vniuersæ tres famosas reperio diuisiones. Prima est antiquis-
1. sima Salomonis tempore, cùm nempè data terra est in distributionẽ duodecim Tribus Israël. Tuncque in duo Regna

Regna diuidebatur, Iudæ nempè, quod duas cōplectitur Tribus Iudę ſcilicet & Benjamin. Altera autem erat regnũ Samariæ, à Metropoli Samaria ſeu ſebaſte reliquas decem Tribus continens.

Secunda diuiſio erat Chriſti D. tempore. Huius tunc tres erant partes. Iudæa versùs meridiem, Galilæa versùs ſeptentrionem, & Samaria in medio duarum. Tertia diuiſio exactior modò eſt, quam tradit Brocardus monacus qui totam hanc ſanctiſſimam terrã fęliciſſimè peragrauit. Hãc ergò in quinque partes ſeu prouincias diuidit. 2.

3. In deſcript. terræ ſanctæ.

Huius quinque partes.

Prima eſt Syria fluuiorũ Meſopotamia dicta, quia inter duos inſignes fluuios ſita eſt Euphratem & Tygrim: cuius metropolis eſt Edeſſa, nunc Rages dicta. Secunda eſt Seleſyria ſeu Syria ſele, ab Euphrate fluuio ad riuum vſque Valaniæ, qui in mare exoneratur. In hac ſunt nobiles ciuitates, Anthiocena, Laodicæa, Apamia, & aliæ ſimiles. Tertia pars eſt à riuo Valaniæ vſque ad montem Carmely, & dicitur Syria Phœnicis, in qua ſunt magnæ ciuitates, Beritus, Trypoli, Sydon, 1. 2. 3.

Tyrus, Acon, Capharnaum. Habet quoque castrum peregrinorum & mõtem Libani. Brocardus diuidit terram sanctam à ciuitate Acon certis suis limitibus & leucis versùs partes mundi cardinales, Orientem, Occidentem, Meridiem, Septentrionem: Et quædam carthæ vulgares incipiunt Terræ sanctæ descriptionem à parte ista tertia, sed persequamur.

Quomodo Brocardus terram ab Acone diuidat.

4. Quarta pars est Syria Damasci, in qua Damascus est metropolis, quæ & Syria Libanica dicitur, à Libano monte. Quæ pars continetur multis sub præcedenti Syria Phœnicis: & Brocardus etiam describit istam partem quintam, statim post Phœnicem.

5. Quinta autem pars dicitur Palęstina, quæ est postrema pars Syriæ versùs meridiem. Hæc iterum in tres diuitur.

Prima nomine totius Palęstina dicta, cuius metropolis est Ierusalem & ad mare mortuum vsque extẽditur. Alia est Palęstina Cesaræ à Cesaræa vrbe maritima. Tertia est Palęstina Galilęæ. Hæc igitur est vniuersa illa Sãcta terra, non terra, sed salutis cœlum, non co-

cœlum, sed verè thronus in quo dominus suas exercuit dominationes, in quo Saluator tot & tãta salutis indicia demonstrat, monstrat iter cœlestis Paradisi hunc terræ paradisum ipse suis sacris pedibus pererrans. *Ad dandam nempè scientiam salutis plebi suæ in remissionem peccatorum*, vt de illo piè canit Zacharia. De hac ergò mensuram, zonam, & clima Geographorum more inuestigemus, eius naturam, temperiem, & conditionem omnem exploremus: quo facilior præfatorum ægrotantium & ægritudinum cognitio obrepat. In aëris enim conditione quo viuimus, totius vitæ nostræ ratio ferè posita est, vt diligenter libros diuini Hippocratis euoluenti, ac omnem conditionem vitę meditanti, notum esse potest & perspicuum.

Quid de terra sancta meditandum.

Longitudo ergò alicuius loci, ex descriptione meridiani per Æquinoctialem mensuratur. Describitur autem Æquinoctialis in sphæra ab oriente occidentem versùs, & meridianus intersecat Æquinoctialem à septẽtrione ad meridiem, ita vt meridianus tran-

De longitudine terræ sanctæ.

ſeat per verticem capitis noſtri, quocunque in loco ſimus,& nobis ſit vnus meridianus hic Toloſæ, alter ſit & ab iſto diſtans Romæ,alter Venetiis & ſic de cęteris locis. Sumitur ergò lõgitudo vnius loci ad alium per longitudinem æquinoctialis,rectà ab occidente ad orientem. Quare longitudo ciuitatum, ait author de ſphęra,eſt arcus æquinoctialis interceptus inter duos meridianos. Vt autem limitari poſſet lõgitudo in æquinoctiali, à certo meridiano incipienda fuit menſura, nempè ab inſularum fortunatarum meridiano. Diſtat autem Meridianus terræ ſanctæ versùs orientem,à meridiano Inſularum fortunatarum versùs occidentem, per ſexaginta ſex gradus ferè. Talis eſt ergò lõgitudo Terrę ſanctæ,nempè ſexaginta ſex graduum,vt mẽſuratur à Iunctino in tabulis. Vnde patet Terram ſanctam ſeu Palęſtinam nobis admodùm eſſe orientalem. Solùm enim Toloſa noſtra ab Inſulis fortunatis habet longitudinem ſeptemdecim graduum, ergò Palęſtina Toloſa orientalior per quadraginta ſex gradus ſingulis autem

gradibus si des triginta leücas gallicas, distabit Palestina à Tolosa versùs oriẽtem, per mille quadringentas septuaginta leüeas.

De latitudine Terræ sanctæ.

Latitudo autem alicuius regionis, aut loci, sumitur ab Æquinoctiali versùs polum arcticum nostrum: & tanta est latitudo vnius loci ad alium, quanta nempè est distantia ab Æquinoctiali. Latitudo ergò Palestinæ est per triginta vnum gradum: Et cum latitudo Tolosæ sit quadraginta trium graduum, Palæstina erit magis meridionalis quàm Tolosa per duodecim gradus, hoc est ferè per trecentum sexaginta leücas.

De zonis & in qua sit terra sancta.

Ex his apparet integram Palęstinam esse in zona temperata, vt & Gallia nostra cum tota Europa, magnaque Asiæ parte. Zona autem ista temperata sumitur extrà Æquinoctialem circulum versùs polum nostrum arcticum, idest, intrà tropicum cancri, & circulum polarem arcticum. Limites tamen Palæstinæ ferè tangunt Tropicum cancri. Ægyptus enim, quę confinis est Terræ sanctę seu Palestinæ,

est sub Tropico cancri. Non longè ergo distat Palęstina à zona torrida, quã scilicet Sol peragrat perpendiculariter, vndè æstuosa, & torrida dicta est illa zona: quemadmodum nostra dicitur temperata, quia scilicet Sol nusquam tangit nos perpendiculariter, sed obliquè. Radij autem Solis vibrati perpendiculariter sunt ardentiores, quales emittuntur in zona torrida. Radij autē quò obliquiores, eò remissiores. Magis obliqui sunt cùm sol est in puncto Capricorni, minùs verò obliqui cùm est in cancro. Ergò cum certa causa, calor Solis in æstate seuerior est nobis, quàm in hyeme.

Palęstina est ergò in zona temperata, comparatione tamen ad Galliam est maximè Orię̄talis & australis Tropicoque cancri proximior, feruidior ergò, vt potè quæ minùs obliquè imo ferè perpendiculariter tangatur à Sole, non multùm scilicet à zona torrida distante, longeque semota sit à zona frigida quæ est ad polum arcticum.

5. *Zonæ describuntur.* Quinque autem zonas per quinque circulos in sphæra describunt cosmo-

graphi. Nempè Circulum arcticum, Tropicũ cancri, æquinoctialem, Tropicum capricorni, & Circulum antarcticum. Inter duos arcticos sunt duæ zonæ frigidissimæ: Inter duos Tropicos est zona torrida; hanc enim Sol tangit vbiquè perpendiculariter: Inter Tropicum Cancri & circulum arcticum est nostra zona temperata: Inter tropicum Capricorni & circulum antarcticum est altera zona temperata. Sed de his pleni sunt libri Geographorum & Astronomorum, ideoque iam de climate dicamus: multùm enim refert ad temperiem Palęstinæ, etiam cognitio climatis.

Clima autem à zona differt. Quinque enim zonę, mundi tam habitabiles partes quã inhabitabiles diuidunt. Clima autem solùm habitabiles partes designat. Est enim clima, spatium terræ habitabilis inter duos parallelos; id est, inter duos circulos æquidistantes, & nunquam in se coëuntes. Describuntur autem paralleli ab Æquatore ad pollum arcticum, quoniam extensione ab Æquatore ad polum semper *De Climate.*

fit maior inæqualitas dierum artificialium : & prima æquidistantia sumitur à circulo æquinoctiali, in qua sensibiliter ad semissem horæ mutatur horologium. Quotum autem fuerit aliquod Clima, tot semihoris dies eius longissimus, diem nocti æqualem, hoc est horas eius duodecim superat.

Climata autem eandem minimè latitudinem habent : Quò enim sunt Æquinoctiali propinquiora, eò latiora, angustiora verò quò magis ab eo recedunt, proximioráque fiunt Aquiloni. Habet autem vnumquodque clima, principium, medium, & finem. Medium dicitur, vbi æstatis dies est longissima.

Primũ clima. Ita primum clima est Diamæroës, vbi major diei prolixitas est horarum
2. duodecim. Secundum est Diaciene à Ciena ciuitate Ægypti, vbi maior dies est horarum tredecim cum dimidia & quarta parte vnius horæ.
3. Tertium est Dialexandrias, ab Alexandria Affricæ vrbe, vbi dies est horarum quatuordecim: & eleuatio poli

ſuprà ozizonta triginta graduum cum dimidio. In hoc autem tertio climate eſt maior pars Syriæ, & ferè tota Terra ſancta. In quarto climate Diarrhodos eſt mare mediterraneum, & ſi quid reliquum eſt à Syria & Terra ſancta, in iſto continetur. In quinto climate Diarromes continetur Roma, tota Hiſpania, pars Galliæ Narbonenſis & Toloſa. Vaſconia noſtra eſt in ſexto Diaboriſteneos. De reliquis non eſt ad inſtitutum. Eo enim animo de his diſſerendum fuit, quò certiùs eſſet Terræ ſanctæ longitudinem eſſe ſexaginta ſex graduum; latitudiuem verò ad triginta vnum, illamque eſſe in zona temperata, & in tertio climate.

In quo climate ſit Terra ſancta.

4.

5.

Toloſa in 5. climate.

Vaſconia in 6

DE TEMPERIE ET particulari conditione Terræ sanctæ.

ENARRATIO XIIII.



ERRÆ nobilissimæ & sacratissimæ longitudine, latitudine, zona & climate descriptis, sequitur vt eius temperiem vniuersam inuestigemus. Periucundum me-herculè & vtile nobis in hac contemplatione diuersari. Inquirendum ergò quo aëre animam è cœlo ducant huius paradisi terrestris incolæ, calido ne an frigido, humido an sicco, puro an impuro, maritimo an terrestri, montano an valloso. Indè & patere potest ventorum illius regionis natura, indè & aquæ & alimentorum conditiones. Ex quibus omnibus ægrotantium cuiuslibet loci naturam expiscari consuetum est Hippocrati. *Quis enim non cernit* (vt doctè Galenus ait) *omnes homines sub septentrione de-*

Incolarũ terræ sanctæ tẽperies vnde meditanda.

Lib. quod animi mores.

gentes corpore & animo prorsùs contrariè affectos iis, qui torridam propè habitant Zonam? Aut quis nescit qui inter hos medij regionem benè temperatam colunt, & corpore esse, & animi, & ingenij fœlicitate atque prudentia illis hominibus præstantiores? Superiora ergò omnia bellè inuestigare conuenit, atque ex iis Palæstinæ & inhabitantium omnis deducenda naturæ cognitio.

Innotescit ergò nobis alicuius regionis aut loci aër duplici via, aut in vniuersum secundum vniuersam regionis positionem, in eius nempè longitudine, latitudine, zona & climate, aut in particulari secundùm cuiuslibet loci in ea regione situm. Nemo enim dubitare potest, quosdam etiam locos temperatissima in regione esse, qui admodùm calidi sunt aut frigidi. Sic notant Geographi in quarto climate Diarrhodos alioqui temperatissimo, Rhodũ insulam esse calidissimam. Diuersitas ergò temperiei loci cuiusdam ab vniuersali regione, dependet primò ex loci positura, quæ particulari situ vel ad meridiem, occasum, aut septentrionem

Aëris alicuius loci cognitio.

Rhodos Insula calidissima.

Locorum alicuius regionis diuersa temperies, vnde.

debet, in qua quatuor anni tempora ſuam ſeruant temperaturam naturalē: Atqui hoc fieri nō poteſt ſub æquinoctiali, nec ſub zona Solis torrida: Etenim ſub præſentia ſolis vbiquè directi, frigus adeſſe nō poteſt ſufficiēs ad cōſtituendam hyemem, nec proindè fieri poteſt tēperatio cōtraria, quę ex aduerſo æſtatis calori reſpondeat. Quod tamen neceſſariū adſtruit Galen. vt quatuor fiant diuerſi temperamenti, diuerſæ anni tempeſtates ver, æſtas, autumnus & hyems. Nec ſufficit frigus noctis vt argumentatur Iunctinus, ad temperandum ſolis ardorem, & vt indè quatuor anni partes ſua proportione temperatæ exurgant. Sic enim duas ſolùm concluderet, æſtatem ab ardore diei, & hyemem à frigido noctis. Ita iudicatam ab Hippocrate, temperaturam inſulæ Co, in qua ille habitabat, coniectandum eſt: quoniam pars illa ab oriente in occidentem, quę parallelum ducit per Coüm & Gnidiū inſulas, habet quatuor anni tempeſtates æquabili quadam proportione, & propria cuiuſlibet temperie cōſtantes.

1. de temper.

De temperie inſulæ Co in qua erat in Hippoc.

Idque ob loci naturam, & comparatione factâ ad æquinoctialem, polumq; arcticum. Nam cùm sint in quarto climate non vruntur vt qui sunt in primo, secundo, aut tertio: nec ita frigescunt vt qui sunt in quinto, sexto, & septimo. Quartum ergò clima, si toto suo ambitu generaliter consideratur, temperatum est, in partibus verò suis, non est dubitandum locos quosdam habere calidissimos, qualem esse Rhodum insulam anteà notabamus.

Quartum clima temperatum est.

Conclusum ergò sit Palęstinam seu terram nobis verè φυσίζοον. necessaria nobis producentem, non ad victum, sed ad æternam vitam: habitâ ratione climatis sui admodùm calidam esse, feruentem, & exurentem: huius tamen loca singulatim spectata, multa reperientur in temperie, & à temperie vniuersa prorsùs dissona & diuersa. Et quanquam ventus vniuersalis sit illîc Auster, sunt in illa tamē & vrbes, & loci ab Austro tuti, ad aquilonem verò patentes & ex positi. Alias item ibi reperies vrbes maritimas, alias in plano, alias palustres, alias deserto in loco,

Palęstina est admodum calida.

in amœnissimo & fertili solo quamplures easque ditissimas.

DE PARTICVLARI SITV & temperie vrbium & locorum Terræ sanctæ.

ENARRATIO XV.

IAM ergò paululùm circa diuersa loca Terræ sanctæ nobis salutiferę spatiemur, vt illorum diuersam temperiem attrectemus mente. In vna etenim & eadem regione prout situs loci diuersus est, sic & aër & victus ratio diuersa, imò certè & inhabitantium diuersi mores & humores. Mensura autem huius varietatis à diuerso loci & soli ad Solem aspectu desumitur. Orientalia etenim dicuntur loca, quæ Solem orientem respiciunt, & ab occidente occultantur monticulis, aut insigni nemore quodam, vel omninò sunt aprica & *Orientalia loca.*

cuilibet expoſita vento. Quæ autem loca montoſa ſunt frigent, quæ in loco plano temperantur, aut ſequuntur dominantis venti aſſiduóque efflantis temperiem. Orienralia verò loca & ab aquilone tecta & occaſu, calida ſunt, aliorumque relatione temperata.

Occidentalia loca.

Similiter occidentalia dicuntur quæ tecta, orientis ſolis non excipiunt radios, hæcque frigidiuſcula ſunt matutino maximè tempore, à vaporibus nempè nubibuſque algeſcentibus, quibus aurora frequentiſsimè horreſcit.

Meridionalia

Meridionalia verò & tecta à ſeptentrione, calida ſunt & æſtuoſa, cùm potiſsimùm radios Solis die vident integra, paucoſque frigidos admittũt ventos.

Septentrionalia.

Septentrionalis è regione ſita, cùm non ita Solis radiis illuſtretur, ferè ſemper friget. Ita ſanè de vrbium & locorum omnium temperie & poſitura iudicandum. Atque diligenter notandũ non ſolùm in loco quodam, vrbe, aut pago, ob enarratas cauſas diuerſam temperiem à tota regione, & illius vniuerſo ſitu reperiri: ſed vnum & eundem locum, vrbem, aut pagum variare; ob

ob diuerſum nempè Solis & cœli aſpectum, varium Soli ſitum ac poſituram, diuerſum item aëris & ventorum afflatum.

Exemplum ſit in antiqua Palladi & Muſis ſacra Toloſa: cuius caput ad orientem Solem hybernum poſitum, à Sole & æſtiuo oriente quibuſdam monticulis tegitur. Ea pars quæ meridiem ſpectat, & qua patent radij Solis, magno Garumnæ fluuio proluta, calida & humida eſt, auſtro frequenter impetita, proindeq́ue areſcens & ſalſa. Pars autem quę ad Diui Stephani fanū orientem Solem & aquilonem inſpicit, paulò temperatior eſt in humido & ſicco, in calido autē & frigido inæqualis. Inferior verò vrbis pars à communi nempè domo & platea porta arietis dicta, tota ad ſeptentrionem & occaſum expoſita friget, & aliarum comparatione ſicceſſit. In vniuerſum autem Toloſa ob ſitum decliuem & humidum aquis & puteis irriguum, humeſcit: in calido autem & frigido ſe habet inæqualiter. Quare & catharris, & febribus putridis, dyſſenteriis, & *Toloſæ temperies.*

morbis à melancholico ſanguine opportuna eſt tota Toloſa. Cæterum (quales in ſimili temperie preditos iudicat Hippocrates) homines habet breuioris ſtaturæ, non magnos, nec admodùm erectos, ſed benè carnoſos & multùm agiles, acutiſſimos certè ingenio, & ad literarum ſtudia maximè promptos & expeditos. Tolerantia quidem laboris non ipſis à natura ineſt, ſtudio tamen & honoris ſtimulo laborioſi fiunt: atque cum ætate ob prædictam loci temperiem dum euadunt melancholici, magna iudicij & animi conſtantia pollent.

Lib. de aëre aquis & loc.

Liceat igitur ad exemplar magnificæ vrbis Toloſæ, de cæteris locis maximeque nobis de vrbibus Palæſtinæ ediſſerere ac iudicare. Vbi cùm loca magna ex parte maritima ſint, ſicciora & calidiora ſunt æſtimanda. Calor enim in loco mari finitimo à reflexione radiorum Solis emanat, ſiccitas autem à maris ſalſedine. Sic ibidem loca, quæ aquis dulcibus ſunt propinquiora, humidiora iudicentur. Quæ ſi ſtagnantes & paluſtres aquæ ſint, vt quæ

Maritimi loci temperies.

non longè à mari mortuo dissident, quia nubibus & imbribus sępiusculè obscurantur, humidissimi loci iudicentur. Aquis carentia loca sicca sunt, montosa frigent, vt & ea quæ aquilonem spectant.

Descriptio Terræ sanctæ à Iosepho.

Descripsit partes antiquissimæ terræ præcipuas Iosephus olim, easque depingit populosas, ditissimas, opimas, & fertiles, restant proh dolor! (Animus enim meminisse horret luctuque refugit) Restant?

----- Iuuat ire & dorica castra
Desertosq; videre locos, littusq; relictum.

---- Tenedos notissima fama
Insula diues opum Priami dum regna manebant,
Nunc tantùm sinus, & statio malè fida carinis.

Sed audiamus antiquissimum terræ, incolarum, rerumque eius, Historiographum. *Pugnaces sunt* (ait) *Galilæi & omni tempore plurimi, neque aut formido vnquam viros, aut eorum penuria regiones illas occupauit: quoniam totæ opimæ ac fertiles sunt; omniumq; generum arboribus*

Lib. 3. de bello Iudaico c. 2

consitæ, vt etiam minimè agriculturæ studiosos vbertate sua prouocent. Deniquè excultæ sunt ab incolis totæ, nec pars vlla est earum otiosa: quin & ciuitates ibi crebræ sunt, & vbiquè multitudo vicorum propter opulentiam populosa, vt qui sit minimus, suprà quindecim millia colonorum habeat. Et paulò post. *Samariensis* (inquit) *regio inter Iudæam quidem & Galilæam sita est: incipiens enim à vico in planitie posito, cui nomen est Ginæa in Acrabatenam desinit Toparchiam: sed naturâ nihil à Iudæa discrepat. Nam & vtræque montosæ sunt & campestres, agroque colendo molles atquè opimæ, nec-non & arboribus plenæ: pomisq; tam siluestribus quàm mansuetis abundant, eo quod natura sunt aridæ, imbriumq; satis habent. Dulces autem per eas aquæ sunt, beniquę graminis copia, præter alias earum pecora lactis abundant: quodque maximum virtutis atque opulentiæ specimen est, vtráque viris referta est.* De Iudæa idem statuit nobilissimus author. *Media eius est* (ait) *Hierosolima vnde quidam non sine ratione vmbilicum eius terræ eam vrbem vocauerunt. Sed nec marinis quidem Iudæa deliciis*

caret, ad Ptolemaidem vſque locis extenta maritimis. Hæc Ioſephus.

De ſingulis reſtat locis, ſed in ſingulorum ægrotantium enarratione, prima pars huius noſtri operis continet loca, in quibus Chriſtus dominus patrauit miracula,& in ſingulis eſt appoſita peculiaris deſcriptio & topographia. Ne igitur recocta crambe nauſeam pariat, ſiquid eſt quod ad abſolutam loci hiſtoriam deſideretur, hoc ſit breuiter de ſingulis vrbibus famoſi loci. In Galilæa nobiles vrbes ſunt, Beritus, Sidon, Thir, Acon, mari mediterraneo finitimæ. Capharnaum, Bethſaida in quibus frequenter erat Dominus, ſunt ad lacum ſeu mare Geneſareth, non longè à terra Geraſenorum, de qua in enarratione de Lycanthropicis loquebamur. Cana Galilææ vbi Chriſtus D. fecit aquam vinum, non multùm à mari mediterraneo diſtat. Cæſaræa illa quę non longè à Iudæa maritima eſt. Altera enim Cæſaręa eſt ad originem Iordanis, quæ Cęſaręa Philippi dicitur, & eſt in decapoli, vt notatũ eſt in enarratione de ſurdis &

Quidam loci terræ ſanctæ præcipui.

guſtorum locorum diſtantia per millia-ria,& omnium ferè peculiari igone.

DE REBVS CONTRA NATURAM, morbo, cauſa, & ſymptomate ex Pathologia Medica.

ENARRATIO XVI.

NAturalia & non-naturalia medica principia viſa ſunt, ſequuntur pathologica de affectibus contra naturam, morbo, cauſa, & ſymptomate, quæ non minùs quàm ſuperiora, ad ægrotantium & morborum in Euangelio propoſitorum cognitionem habendam ſunt neceſſaria. Morbus ergò à cauſa proficiſcitur, ſymptoma naſcitur ex morbo: & naturaliter cauſa antecedit morbum, & hunc vbiquè ſequitur ſymptoma. Sic in Thione, qui ab inſolatu, aut intemperante victu in febrem inciderit, cum magna ſiti, capitis vehementi dolore & vo-

mitu : causa morbi est insolatus, aut copia cibi potusque : morbus est ipsa febris, quæ est ardor seu calor præter naturam : accidentia verò & symptomata quæ talem sequuntur morbum, sunt sitis, dolor capitis, & vomitus.

Definitio morbi ex Fernelio.

Dicamus primò de morbo. Morbus est *affectus parti insidens, & actionem lædens*. Hæc definitio dicit naturam morbi, notat enim morbum insidere parti vt subiecto, talis enim accidẽtis natura est vt sit in subiecto. Nomine etiã *affectus* dicit causam, quia non potest esse affectus prȩter naturam, nisi cum causa aliqua externa vel interna. Dicit demùm, *actionem lædens*, tanquam sit effectus causæ contra naturã, quȩ morbum facit. Ita certè theoria huius definitionis reperietur in lib. posterior. Arist. vbi accidens est in subiecto per certam quandam causam.

Lib. de sympt. diff.

Bona est ergò data definitio. Sed apertior hȩc Galeni. *Morbus est affectus præter naturam primò & per se actionem lædens*. In qua duo illa verba, *primò & per se*, emphatica sunt. Nam causa morbi etiam lædit actionem, imò &

ſymptoma lædit actionem: ſed ſi cauſa lædit actionẽ, non quidẽ per ſe, ſed interuentu morbi. Sic ſi ſymptoma lædit actionẽ non primò, quia ſolus morbus primò & per ſe lædit actionẽ. Item dum cauſa morbũ producit, quia cauſę actio fit cum motu & ſucceſſione, morbus à tali cauſa productus, dum eſt *in fieri*, nõ adhuc verè dicitur morbus, donec ceſſante actione cauſæ, morbus omninò ſit in parte fixus, & vt dicitur *in facto eſſe*. Illud dicunt Græci ἐν σχέσει, hoc ἐν ἕξει. Vidiſti exemplum ſuprà in enarratione de Leproſis ſeu elephanticis, videbis in ſubſequenti enarratione de Lepra.

Morborũ generales differentiæ.

Morborũ autẽ differentiæ generales, quarum ambitu particulares omnium partium morbi continentur, tribus è fontibus hauriũtur præcipuè. A partium noſtri corporis in quibus hærent naturâ: vel à morbo ipſo, aut ab adiunctis. De prima diuiſione, cùm aliæ partes corporis noſtri ſimilares ſint & vnius naturæ, aliæ verò ſint diſſimilares & ex ſimilaribus compoſitæ, quas vulgo vocant organicas, prima

Differentia à parte obſeſſa deſumpta.

morborum differentia est partium similarium, secunda est partium organicarum, tertia vtrarumque. *Partium similariũ morbi.* Partium similarium morbi consistunt in temperie vel simplici, vt calida, frigida, humida, sicca: vel composita, calida humida, calida sicca, frigida humida, frigida sicca. Iterùm quælibet intẽperies vel simplex est & solitaria, vel humore aliquo stipata. Ita febris tertiana, gratia exẽpli, est intemperies calida sicca cum bilioso humore superfluo, & contra naturam. Sic ophtalmia est oculi inflammatio cum sanguinis aut bilis affluxu.

Aduersùs Fernelium. Probatur autem partium similiariũ morbos non esse alios præter intemperiem: Quoniã morbus sanitati contrarius est, at sanitas partium similariũ est proba temperies: ergò illarum morbus debet esse intẽperies. Nec admissa est in scholis trimembris illa diuisio morborum in parte similari à Fernelio machinata, cum alios esse morbos materiæ, alios temperamenti, alios formæ adstruit, omnesque in similari & vniformi parte. Certum enim est mor-

bos materiæ, quos vocat, ad intemperiem pertinere, mollescit enim pars ab humida intemperie, durescit à sicca. Morbos autem venenatos, pestilentes, & contagiosos quos formæ vocat, occultæ conditionis sunt, nec se in arte produnt, nisi cum intemperie, aut alio genere morbi cognito. Obscura enim & abdita non sunt artis. Veras & sensu notas obtrudit nobis Galenus morborum differentias, quas aperto marte, & cognitis cùm indicationibus tùm remediis certò oppugnamus. Amuleta & abdita remedia aut ab experientia pendent, aut non sunt tuta.

Ita etiam de morbis partium organicarum venit statuendum: harum enim sanitas in conformatione, magnitudine, numero, & situ: & conformatio in conuenienti figura partis, iusta cauitate, asperitate aut leuitate consistit. Ideoque partium organicarum quatuor sunt species morbi, mala nempè cõformatio partis, aucta illius aut imminuta magnitudo, deficiens aut abundans numerus, vt sextus in manu digitus, indecens situs, vt cum exerti dentes

Partium organicarum morbi.

prominēt, aut vnus alio ſupernaſcitur. Mala iterū cōformatio eſt in deprauata figura, vt in vatiis quibus foras, & in varis quibus intrò crura contorquentur. Eſt in cauitate & capacitate partis, vel immoderata amplitudo, vel coarctatio immodica: eſt etiā in meatu obſtructio, vt cùm vreteres & viæ vrinarū à calculo intercipiuntur. Tādem aſperitas aut leuitas partis poteſt eſſe vitiū cōformationis, ſic in liēteria læuigatur contrà naturā interior tunica ventriculi, quæ paulò rugoſior à natura eſt, ideoque in hoc affectu talis cibus egeritur qualis ingeritur, nulla coctione mutatus. Sic aſperæ arteriæ interior tunica, quæ leuis eſſe debet, exaſperatur deſtillatione acri, vnde raucedo.

Morbus vtriſque partibus communis.

Vtrique tandem parti & ſimilari & diſſimilari cum ſit vnio & continuitas cōmunis ad ſalutem, ſic vnitatis diuortium & ſolutio, vt vulnus, conſtituit quoddā genus morbi, quod *ſolutionē continui*, vulgo vocāt. Ampla certè materia & vberrima ſeges Chirurgis. In ſolutionis enim continui vaſtitate, quinque ſumma morborum genera in-

includunt, circà quæ tota occupatur antiqua certè ars Machaonia, hominibus tantoperè necessaria.

Adde ad superiores morborum differentias quosdam morbos reperiri parti cuidam proprios, quibus est indigena generatio: alios esse etiam quæ ab vna parte ad aliam transferuntur & communicant affectum, illos idiopathicos & parti proprios, hos verò simpathicos & per consensum Galenus vocat. Ita dolor capitis aliquandò vrget ventriculi, vteri, & infernarum partium sympathia. Sic & suffusio visusque obscuritas momentanea, ventriculi vitio nō semel suscitatur. Vulgaris est hypocondriaca melancholia quæ è liene, sinistrique hypocondrij consensu cerebrum perturbat: cum vapor ater & obscurus obrepit in mentem, quam in falsa & absurda, longeque à ratione abhorrentia præcipitat.

De morbis idiopathicis & sympathicis.

lib. de loc. aff.

Secundæ morborum exurgunt differentiæ à morbo ipso. Sic alij morbi sunt acuti simpliciter, quorum historia vel decimo quarto, vel vigesimo absoluitur. Alij peracuti, quales sunt qui septē

Differentiæ morborum ab ipso morbo.

dies vt plurimùm durant, alij perperacuti, qui citiſſimè enecant intrà tertium aut quartum ad ſummum. Acutæ ſunt febres continuę tertianæ, aut quotidianæ, peracuta eſt ſynochos, ſed perperacuta Cynanchi Apoplexia & Conuulſio. Alij ſunt etiam morbi chronici & longęui, vt quartana febris intermittens, quam nouem annos duraſſe

Hiſtoria. in quodam Fernelius vidit. Nos ab ea vidimus conflictatum ſtato & certo typo octodecim annis iuuenem melancholicum: incepit ferè vigeſimo anno ad trigeſimum octauum vſque. Alij ſunt etiam morbi à manifeſta cauſa, alij ab occulta, vt venerei; & peſtilentes. Alij endemij, & epidemici, quorum eſt cauſa in aëre communis. Alij ſporradici regionales & patrij, qui ab intemperata ratione victus originem

Differentia ab adiunctis. ducunt. Tertia ſupereſt morborum generalis differẽtia quam ab adiunctis peti dicebamus, vt & à tempore, aut tempeſtatis conſtitutione, ab ætate, & ſimilibus conditionibus. Hi ſunt morbi diurni, nocturni, æſtiui, autumnales, pueriles, ſeniles. Sed de his ſatis.

Causas morborum in externas & internas, has in antecedentes & coniunctas diuidunt. Externę morborum causę procatarcticę dictæ, à rebus non-naturalibus peti solent: quarum alias necessariò incurrimus, aërem nempè, cibum & potum, somnum & vigiliam, excreta & animi perturbationes: alias deuitare possumus si cauti pręuideamus lapsus, casus, & ictus, quanquàm fato sępè contingant.

De causis morborum externis.

Antecedentes autem causæ προηγούμεναι dictę internę sunt & abditę, quæ tamen non solùm morbos gignunt, sed vt in lib. aduersùs Iulianum scribit Galen. eos etiam augent, fouent, & conseruãt, aut præsentibus illis curari non potest affectus. Sunt autem illæ in humorum constitutione positę. Humorum autem duplex in vniuersum ratio est & status. Vel enim ex ęquò quatuor humores sanguis, pituita, & vtraque bilis flaua & nigra, in venis abundant: vel iidem humores inęqualiter se habent: & in corpore quodam plus bilis inest, in alio plus pituitę, plus melancholię in alio. Cum omnes

De antecedẽtibus causis.

humores ex æquo abundant, plethora dicitur, Eſt autem Πληθώρα ἁπάντων τῶν χυμῶν ὁμοτίμως αὐξηθέντων ἢ τοῦ αἵματος μόνου πλεονεξία. Omnium humorum æquabiliter adauctorum, vel ſolius ſanguinis plenitudo. Duplex autem plethora eſt, vna *ad vaſa* quæ tenſionis & grauitatis ſenſum inuehit, altera *ad vires* quæ tanquam ac ſi pungeret ſpinis vlceroſam laſſitudinem Galeno facit. Et ſi enim in ea vaſa nec tument, nec diſtenduntur, plus tamen in illis reconditum eſt ſanguinis, quam à natura regi gubernarique poſſit. Ergò in hac plenitudine ſanguis quantumuis paucus, facultatem aggrauat, & eius incommodat functionibus. In vtraque autem plenitudine periculum eſſe diſcriminis, ne venæ dehiſcant, teſtatur Hippocrates, qui haud cunctanter talem plenitudinem ſoluendam præcipit.

Quid plethora ex lib. 2. ſecun. loc. c. 3.

Cùm autem inæqualiter ſe in venis habent humores, & bilis aut pituita in corpore luxuriat, cacochymia & ſuccorum vitioſitas nuncupatur. Κακοχυμία ἐστὶ τῆς ξανθῆς, ἢ μελαίνης, χολῆς, ἢ τοῦ

Quid cacochimia.

τοῦ φλέγματος πλεονεξία flauæ, vel atræ bilis, aut pituitæ redundantia. De horum omnium ſignis, vel cum plenitudo ſanguinis, vel cacochymia in corpore ſuccreſcit, in præcedenti enarratione quinta dicebamus.

Cauſa reſtat συνεκτικὴ, continens vel coniuncta dicta, quanquam Medicis hæ inter ſe differant. Continentem enim cauſam definiunt, qua præſente ponitur affectus, ſublata tollitur. At coniuncta cauſa poſita ponitur affectus, ſed ſublata non tollitur, imo remanet affectus. Exemplo res fiet apertior, faciamus lapillo vreterem & vias vrinæ obſtrui, quo tēpore cœpit lapillus obſtruere, cępit morbus in via, qui morbus eſt organicus. Cùm autem lapillus obſtructionis iſtius ſit cauſa continens, ſublato lapillulo protinus ceſſat morbus, nec aliquid obſtructionis eo ſublato remanet. At in febre putrida non ſic eſt. Febris enim eſt intemperies calida, cuius cauſa eſt humor putridus qui febrem accendit, ſublato autem & euacuato humore putrido nō illico ceſſat febris, remanet *De continēte & coniuncta cauſa.*

enim intemperies calida quæ formaliter febris est suo cõtrario curãda. Certum itaquè est humorem putridum nõ esse causam febris continentẽ sed coniunctam. Inde tale datur axioma. Omnis causa continens est coniuncta, sed non è cõuerso omnis coniuncta est cõtinens. Queres? qui morbi habent causam continentem, & qui coniunctam? Respondeo, morbi qui in successiuorũ genere sunt, & quorũ essentia prorsùs est in fieri, qualis est obstructio, ij causam habent continentem. At morbi in permanẽtium genere, quorum essentia est in facto esse & habituales sunt, ij dicuntur habere causam coniunctam: sublata etenim illorum causa remanet affectus, vt in febre hectica videre est, maximè si ab externa suscitetur causa. Neque negandum est morbos dari in fieri & in facto, quidã enim morbi perenni causæ fluxu fouentur, & fiunt, qui tandem in factum morbũ incidunt: atque tunc reuera morbus est & dicitur, & quod peius est incurabilis sepiusculè, propter insignem mutationẽ habitus partis, vt de febre hectica, in qua equa-

lis toto corpori intemperies sicca facta est, edisserunt Medici: hancque curare non solùm difficile, sed impossibile pronunciat Galenus. 1. de diff feb. c. 8. de alibi.

Fuit ergo morbus, fuit & eius causa, restat de symptomate quod est morbi cōsequēs: sequuntur enim symptomata morbū, vt vmbra corpus. Vt autem vnius causæ plures possunt esse effectus, sic morbus infinita potest edere symptomata, quæ tamen ad tria summa genera reducit Galenus. Primum genus est actio læsa, secundum excrementorum vitium, tertium simplex corporis affectus. Ab actione læsa duo postrema symptomatum genera ferè pullulant. In ictero, gratia exempli, tria illa elucent, fœdus enim & flauus color est, à flaua bile excrementitia per corporis cutem diffusa, contractus: sed illa duo symptomata & exeretum & color ab actione læsa in iecore dependent: omnia autem symptomata illa, à morbo, puta intemperie hepatis vel vesicæ felleæ obstructione. *De symptomate.* lib. de diff. sympt.

Actio autē tribus lęditur modis, abolitè, deprauatatè, diminutè. Vt cæcis *De primo symptomatum genere.*

visus aboletur, luciosis minuitur, strabis deprauatur & iis quib⁹ oculi aut flauo aut rubro colore suffunduntur. Aboletur coctio vētriculi in cruditate & ἀπεψία, in βραδυπεψία minuitur, in δυσπεψία deprauatur. Et hæc de actione læsa.

De tertio. Secundum genus symptomatis est in excretis, exiens mutatum vocant: cùm videlicet quæ à corpore exeunt & excernuntur, à pristina quantitate ac qualitate aut excernendi modo diuersa sunt & admodùm mutata. Vt excretum in substantia præter naturam est cum aliquid (exempli gratia bronchij ab aspera arteria tussiendo extunditur, aut ramenta intestinorum per dysenteriam abrasa deijciuntur. In quantitate excreti est longa diarrhea, aut plena manu profusior hæmorrhagia. In qualitate verò peccat exiens, cùm fœtida & vitiosa delabuntur ab aluo.

De secundo. Symptoma autem tertium, quod est in simplici corporis affectu, versatur circa sensus, & à numero sensuum externorum diuisionem capit. Vt visibile symptoma est, color fœdus, flauus aut niger in cute, qualia per morbos acce-

dunt ectymata & exanthemata, morbilli. Sic audibile eſt, rugitus inteſtinorum, borborigmi, & flatus. Odorabile ſympthoma eſt fœtor anhelitus, odor inſuauis & fœtidus. Guſtatum exercent ingrati ſapores & iniucundi: vt tactum aſperitas, leuitas, ſimileſque tangibiles qualitates præter naturam & inſuętæ corporibus. Hæc itaque breui de morbo, cauſa, & ſymptomate dicta ſufficiant.

Sequeretur vt ſingulas morborum & ſymptomatum ſpecies, ſuis ſubijceremus præfatis generibus, atque ſingularum partium corporis noſtri morbos deſignaremus: cùm tamen inſtitutum noſtrum ſit de morbis Euãgelicis ſolùm ediſſerere, cæteri morbi aliò quærendi ſunt. Nullus eſt, meo iudicio, in cognitione ſingulorum morborum Fernelio noſtro præferendus, ille enim ſingulis corporis noſtri partibus ſingulos appinxit morbos, tanta elegantia & ſermonis lenocinio, tamq; clara & lucida breuitate, vt illius opus verè poſſit Apellis Diana vocitari, quam nemo feliciùs depinxerit. *Admonitio.*

DE COGNOSCENDO AEGROTI temperamento & viribus, ex σημειωτικῇ Medica.

ENARRATIO XVII.



Duellum naturæ cũ morbo.

Ic est apex & culmen prę-fatæ doctrinæ, hûc omnia tendunt Medica principia, ægrotum nempè & morbum disgnoscere: in quorum duello aut citam mortem, aut victoriam lætam præuidet Medicus. Duo sunt ante iudicem Medicum, qui de palma contendunt. Morbus vt alter Aiax insultat in Vlissem bonum, Naturam nempè nostram quæ nos cõseruare nititur. Hos dum luctantes inspicit Medicus, naturæ vbique partes sequitur, illique arte & ingenio oppitulatur. Habet autem naturæ ægrotantis cognitionem, ex corporis qualitate, & actionum energia, de quibus hic nobis differendum.

De cognitione naturæ.

Qualitatem corporis habitum vocãt.

in colore,charactere, & mole positum. Actiones autem spectantur maximè vitales, quæ è corde sunt & in pulsu leguntur. Sunt etiam naturales & animales vires ex propriis actionibus dignoscendæ. Benè non semel à Galeno dictum est naturam nostram esse temperamentum & in temperamento vel insito vel ascititio omnẽ nostrã naturã positam esse, omnes nostras vires ibi locatas. Enarratione secunda 1. partis quæ de tẽperamentis est, duplex à nobis constituebatur temperamentum, insitũ nempè & ascititium. Ita duplex se Medico offert natura ægroti vbiquè dignoscenda: Et illa quæ natiua à primordiis vitæ suscepta est, aut illa quæ immutata est ab ætate, victus, & vitæ conditione. Sed ad faciliorẽ immutatę naturæ captum, sit exemplum ita animo & cogitatione meditatum.

Immutati tẽperamenti exemplum.

Accedant è montanis locis,editis,& perflatis, qui bilioso sunt & sicco corporis habitu, ad hanc populosam vrbẽ Tolosam magna ex parte calidam & humidam, in qua crassus & humidus aër vaporibus nubibusque multis sæpè

inquinatur: celeres certè illorum animi mores, corporisque motus, hîc breui torpescunt: atque tandem mutato prorsùs victu & vitæ conditione, mutant & temperamentum biliosum, & fiunt melancholici. Imo certè & cum humoribus mutant mores, tepefacto etenim bilioso humore,& corporis robore aliquantulum infracto, circumspectiores, prudentioresque euadunt, inualidi tamen & valetudinarij: donec inuestito loci temperamento acquisititiam naturam & temperamentum induerint, quo deinceps sani victitent. Sunt tamen nonnulli, quibus est perpetua lucta cum aëre vrbis, dum altas scilicet seruant primi & innati temperamenti radices, quibus ascititio sibi contrario reluctantur.

Quid agendũ medico in cognitione naturæ ægrotantis.

Ita ergo Medicus ægrotum curandum suscipiet, vt primum diligenti consideratione intueatur, sit ne ægrotans in pristino suo & natiuo temperamento à morbo prehensus, sitque ne morbus prorsùs tali temperamento dissimilis, an verò ægrotans iam ante morbum mutauerit temperamentum,

vel ab ætate,aut aëre ambiente, victus ratione aut vitæ conditione priori diuerſa. Et videat num morbus quo conflictatur, cum aſcititio temperamento conueniat aut cum natiuo,an verò vni vel alteri diſſentiat. Reffert enim admodùm tum ad prædicendum in morbo, tum & ad remediorum indicationes capiēdas, vtrumque temperamentum in ſingulis magna animi meditatione perpendere.

Ad remediorum inuentionem & curam morbi in primis, etenim regula eſt, & à Galeno diligenter ſeruata. In ægrotante ſuo temperamento non immutato, vbiquè ſeruandum temperamentum, & contrariis cum morbo agendum. Quando verò immutatum eſt temperamentum, quoniam & ipſum ferè morbus eſt, dubitatione non caret,an illud etiam cum morbo debeat expungi, & ita profligari, vt ad priſtinam naturam ſeu primariū temperamentum redeat ægrotans. Certè ſi ab ætate aut vitæ conditione immutatum ſit temperamentum, longoque vſu & aſſuetudine introductū, difficilè *Temperamēti cognitio ad curādum neceſſaria.*

nec ſine periculo detrudi poteſt & euelli: conſuetudo enim altera natura eſt. Si tamen altas non egerit radices, ſitque de nouo & à paucis diebus, vel ab aëre aut victus ratione immutatum, non eſt dubitandum mutatione aëris & victus, citò tutoque imo & iucundè depelli poſſe.

Curati morbi cum aſcititio temperamēto exemplum.

Erant in vrbe à duobus annis ſtudioſi duo adoleſcentes, bono corporis habitu, temperamento moderati, & ſanguine præditi, qui dum per annum ſtudiis & ſacris contemplationibus animum immanè quantùm applicaſſent, immutato natiuo temperamento & habitu melancholico in vrbe contracto, in maniam inciderunt. Hi vinciebantur cathenis & compedibus, vt de Geraſenis olim loquebatur D. Lucas, & tamē cōtineri non poterant: iracundia, clamoribus ſępiuſculè ęſtuabant: modo fletu, modo riſu Heraclitum Democritūque viciſſim agebāt, indecorè corpus omne cōponebant, multa eaque abſurda animo & cogitatione fingebant, & ridicula loquebantur. Qui dum infinitis remediis à peritiſſimis quibuſdam vrbis

Medicis non poſſent curari,vocatus ad conſiliũ,meditatione aſcititij temperamenti,cępi de mutatione victus & aëris conſulere. Noſtro ergò cõſilio in patriã reuerſi probè & in integrũ curati ſunt, ac ſublato aſcititio temperamẽto feliciter reſtituti. Ita ergò cum morbo illa lege depugnet Medicus,vt ſeruet quãtum poſſit inſitam naturam, & aſcititiam demoliatur:quæ tamen ſi firmiter fixa ſit & iam habitualis,ea relicta aduerſus morbum generoſè inſurgat.

Reffert etiam horum temperamẽtorum cognitio ad prædicendum. Hoc enim indicat Hipp. cum ait. *In morbis minus periclitantur, quorum natura aut ætati, aut conſuetudini, aut anni tempori, magis cõgruit morbus quam vbi nulli iſtorũ congruit.* Quo in loco Hipp. vtrumq; tẽperamentum & natiuum & aſcititium intelligere, notat Galen. dum eius mẽtem ita aperit in cõmento. *At ſi ita diceret Hipp.* (ait Galen.) *In morbis minus periclitantur quorum prima corporis temperatura, vel ei quæ ratione præſentis ætatis, aut conſuetudinis, aut temporis ſuperuenit, magis congruit morbus, quam quibus nulli iſtorum congruit.*

Temperamẽti cognitio neceſſaria ad prædicẽdum.

ad ea quę offeruntur, animalem facultatem validam denuntiant. Probè concoquere cibos, statutis naturæ horis excrementa deponere, beneque moratam habere aluum, naturalis facultatis benè valentis dotes sunt.

De vitali facultate dignoscenda.

Sed omnium virium radix in corde est, vbi nempè vitalis illa facultas residet, vndèque singulis partibus per arterias genium naturæ vitęque nectar impertit. Multa eam viuidam floridamque demonstrant, sed duo quammaximè, pulsus nempè, & respiratio: quæ duo vnanimi consensu, mutuas sibi ad vitam conferunt operas: iisque solis constare vitam, non semel Galen. pronuntiauit. Atque dum priuatos respiratione ne momento quidem nos viuere videt, concludit respirationem ipsam ad nullam particularem actionem, sed ad solam vitam conferre: confutatque eorum opinionem qui nutriendi spiritus animalis gratia, nos respirare contendunt. Suffocatio etenim respiratione cohibita, non ob paupertatem spiritus animalis, aut eius alimenti defectũ contingere perspicuũ

De respiratione.

De diastole & systole. est. Inspirationis enim & expirationis necessitas è corde est, cui vt & pulmoni, dilatatio & constrictio inest. Diastole enim seu dilatatione cordis ingreditur aër arcem cordis sinistram, qui spiritus viuifici futura est materia. Cõstrictione, & cõpressione eiusdem, fuliginosa excrementa ab opere edificandi spiritus relicta, ex eodem sinistro cordis specu expirant, & per arterias pulmonum in fumos & tenues abeunt auras.

De pulsu. Inde clara fit Galeni doctrina, tres nempè esse causas pulsus continentes, facultatem, instrumenta, & vsum. Facultas enim vitalis author est pulsus, arteriæ sunt instrumenta: vsus verò cuius causa hoc aut illo modo mouetur & impellitur triplex est, vitalis spiritus reparatio, contemperatio caloris, & excretio fuliginis. Benè autem à Celso dictum est mille res pulsum turbare, vt explicat enim de pulsibus ad tirones Galenus, res naturales, non-naturales, & omnes contra naturam pulsum interturbant. Quid ergò ex pulsu de viribus ægroti conijciemus, si quid certi

non eſt à pulſu ? Quid ex vrina de coctione humorum prædicendum, in cuius cognitione incedendum eſt cum cautela , vt loquebetur bonus olim Gordonius? An vt diſcipuli Herophili, & Archigenis ob difficultatem dignoſcendi pulſus præceptores deſerendi nobis? An Ariſtophanis poëtæ,& nebulorum quorundam calumnia ἱεροσκόπους perterrefaciet ? Dij momos perdant , valeat mendicus poëta. *In artis maledicos.*

Nam ſi doloſi ſpes refulſerit nummi
Coruos poëtas , & poëtridas picas
Cantare credas pegaſeium melos.

Nobis, (ita Deus abdicet iſtos) pulſus & vrina ſigna ſalutis & auguria valetudinis habentur,quibus certò de morbo & ægroto pronũtiamus, tutò & iucundè remedia paramus. Non equidem ſufficit Medicis ab vno ſigno ſolùm & ſemel morbi cognitionẽ repetere, vna enim hirundo non facit ver , ſed vt dicitur,cumulata iuuant ; multorũ enim ſignorum quæ ſe ad morbos offerunt viſa συνδρομῇ , ea ſeligunt , in quibus eſt τεκμήριον ſigni nempè certa veraque ratio.

DE COGNOSCENDO Morbo.

ENARRATIO XVII.

De accidentis cognitione ex 2. post.



ÆUientis morbi cognitio eſt ſecundum caput Medicæ prognoſeos. Morbus autem accidens eſt, cuius cognitio in tribus conſiſtit, genere, ſubjecto,& cauſa. Eſſentia enim accidentis eſt, vt per certam quandam cauſam inhæreat ſubiecto. Cùm igitur morbum in parte quadam corporis hęrere, & à cauſa ſua dependere certum ſit, accidentis certè in modum cùm definiri tùm demonſtrari debet. Scimus enim eorum accidẽtium, quorum certa cauſa dari' poteſt, eſſe demonſtrationem, imò & de iis ſolis reuera dari demonſtrationes, quas mutatis terminis vertimus in definitiones. Inde vulgò, definire eſt rem per cauſam cognoſcere idemque de demonſtratione apodictica dicendum.

Tria

De mutanda definitione in demonstrationem è contrà.

Tria ergo sunt in accidentis cognitione, genus, subiectum, & causa: eadem tria in morbi cognitione reperiemus: Et in morborum diagnosi, affectus speciem, partem affectam, & causam recensere sufficit: quibus cognitis & definies morbum, & iisdem ferè terminis demonstrabis. Sic, definiemus in tertia sequenti parte lepram, morbum contagiosum ab insigni assatione humorum in partibus externis corporis nempè cute. Si ex hac definitione texenda tibi esset ἀπόδειξις, mutabis speciem morbi in attributũ sillogismi, cuius partem affectam subiectum facies, & causam pro medio assumés, sic.

Vbi fit insignis humorum assatio, ibi est contagium,

At in corporis partibus extimis fit insignis humorum assatio,

Ergo in corporis partibus extimis est contagium.

Hoc autem erat demonstrãdum, nempè fieri contagium in cute corporis ab assatione humorum. Quod genus contagij lepram & elephantiasim vocari certum est. Et tale nomen arbitrio

fuisse tali contagio impositum. Hincque patet quam sufficiẽs sit & integra morborum cognitio & diagnosis, quæ per affectus speciem, partem affectam, & causam morbi habetur. De singulis ergò breuiter dicamus.

Quibus signis pars affecta morbo detegatur.

Præcognoscenda in primis est pars affecta in morbo, deindè affectus species, & causa. Magnum enim morbum Galenus metitur, propriæ essentiæ magnitudine, partis afflictæ præstantia, & malignitate atque cacoëtia causæ & morbi. Declarant autem & aliquam partẽ morbo obsessam in corpore demonstrant. 1. actio læsa, vt cæcitas oculum esse affectum. 2. excrementa partis, aut quid in illa contentum, vt chilus exiens à vulnere aut alio morbo, vt in cœlica affectione, ventriculum affectum esse denotat, aut si prodit vrina vesicam. 3. Situs, cum enim dextrum hipochondrium dolitat, hepar criminatur, cum sinistrum lien. Doloris etiam proprietas pro 4. signo expetitur, significat enim dolor pulsans arterias, pungens membranas, conuellens neruos, contundens ossa. Tandem

accidentia quæ ſingulis partibus propria ſunt clarè oſtendunt νοσοκουμεῖον, vt ſingultit ventriculus, deliramus à cerebro. Hæc eſt Galeni doctrina in lib. de loc. aff.

Iiſdem ſignis innoteſcit mrobi ſpecies, ſola actio læſa hic parum facit: Illa enim quæ pars affecta ſit, non quis in ea ſit affectus exprimit. Docet Galenus quo pacto quis vel prima morbi inuaſione ſpeciem morbi dignouerit. *Morbus* (ait) *aut eſt ſimplex aut ex pluribus mixtus, ſimplices cognoſci facilè poſſunt primo die, habent enim propria indicia & ſigna. Ille verò qui mixtus eſt, non ab omnibus per initia intelligitur. Neque abſurdum eſt ad duplicis morbi cognitionem duobus eſſe diebus opus, ſicuti ſi triplex fuerit tribus. At verò vnam ſimplicem ignorare diſpoſitionem abſurdum eſt maximè ac turpe. Oportet ergò ſe exercere in ſimplicibus digoſcendis.* Hæc Galenus.

Quibus morbi ſpecies.

1. de Criſib.

Cæterum in ſpecie morbi quatuor aſſignat, quę vbique & in omni morbo, ſed maximè cum acutus morbus eſt, rimanda ſunt & animo perpendenda.

Quatuor in ſpecie morbi obſeruanda.

Idea morbi. Illa autem ſunt, idea morbi, eius magnitudo, motus, & mos. Idea morbi in primis ſeu ſpecies morbi, vt ſi acutus morbus ſit, aut chronicus ſeu longus, ſi lethalis à natura ſua an non: An ſit ſimplex morbus in intemperie, aut in conformatione mala, aut in vnitate ſoluta, an cauſam habeat popularem, communem, eamque occultam & à cœlo, ſit ne quid in illa τὶ θεῖον vt ait Hipp.

Magnitudo. Magnitudo deinde morbi contemplanda. Poteſt autem ſpectari morbus vel in ſe, vel viribus ægroti collatus. Hoc poſtremo modo, nihil ſpernendum, nihil parui ducendum Medico prudenti. Morbus etenim mediocris, lapſis collatus viribus, magnus poſſet æſtimari. Item

---- ſerò medicina paratur
Cum mala per longas inualuere moras.

Per ſe autem magnus morbus eſt, aut quia ſeueriora habet ſymptomata, aut ſedet in parte nobili, aut à cauſa maligna procedit. Habet autem magna ſymptomata, vt cùm præter ea quæ de affectus natura procedunt pathogno-

monica dicta,alia ſuperueniunt grauiſſima. Solent autem turgente morbi cauſa multa ſuperuenire. Sic in pleuritide, ordinaria & aſſidua ſigna ſunt, dolor lateris punctim laceſſens, tuſſis irritans & inanis in principiis, ſæpiùs cum ſputo cruento, ſpiritus & reſpirationis labor, febris eaque ſæpè acuta quæ nullas habeat manifeſtas intermiſſiones, cùm cumulatæ inflammationis ſoboles ſit. Multa alia ſolent incidere in hunc morbum ſymptomata, quæ non morbi naturam, ſed ægroti prauam conſtitutionem ſapiunt. In multis enim cum pleuritide, vidimus capitis dolores graues, ſitim inexhauſtam,diarrheas,ſudores,& irritas inutileſque hæmorrhagias: vidimus & cum ea conuulſiones, muritates, deliria & attonitum morbum. Conſuetum tandem & in praxi obſeruatum, ſuperuenire morbum morbo, vt pleuritidi peripneumoniā,& Cynanchȳ.

Motus autem morbi in celeritate aut tarditate conſiſtit. Quatuor autem cuiuſlibet morbi tempora dignoſcenda ſunt, principium nempè,augmentum, *Motus morbi.*

ximus. Qui curioſius & exactius horũ meditationem deſiderabit adeat, neothericos ſcriptores notiſſimos, aut antiqua Hipp. & Galen. monumẽta diligẽtiùs perluſtret. His nos ſumus cõtenti, ſed interim breuiter de more morbi.

De more morbi. Vt homines omnes, & animalia ex humoribus mores trahunt, ſic à cauſis & humoribus mores morbi deriuãtur. Quidam morbi ſunt mali moris, quorum nempè cauſa minimè morigera eſt & remediis obediens: Alij ſunt boni moris, qui cauſam habent cognitam, obſequẽtem, ſunt in loco facili, cedunt remediis, & breui extinguntur, horumque, ſi obediat æger, ſperabilis ſit & certa curatio. Sed audi verbum notatu grauè. *Malignus eſt morbus* (ait Galen.) *qui facultate magnus eſt difficiliſque, ſpecie tamen apparet perexiguus, nec ſtatuta ad indicandum habet tempora.* Sed de his oracula Hipp. ſummi in Medicina vatis conſulenda ſunt.

De cauſa morbi dignoſcenda. Finem facio ſi de cauſa morbi dixerim, quæ præfatis etiam ſignis ſe dat in apertum. Quocirca (Fernelius ait) poſt affectã ſedem, & morbi ſpeciem,

causa omnis interior peruestiganda. Primum quidem continens & proxima, flatus ne sit, an aquosus aliusue humor, pituita, sanguis, bilis atra, aliudue præter naturam: vt calculus, grumus, lumbricus, excrementiue genus. Id autem indicant partis color & natura, doloris species, excrementi genus, & quæ de humorum dominio allata sunt. Sed de his pro compendioli nostri ratione satis.

DE MORBO ET AEGROTO simul conferendis.

ENARRATIO XIX.



T ergò futuram cladem in morbis, aut victoriam lætam denunties, causarũ morbique potentias cum viribus ægri conferre debes. Ægroti vires dignoscebamus ex actionum maximequè vitalium energia, ex bono corporis habitu, colore, caractere, & mole, ab ætate, loco,

tempore, victus ratione, vitæ conditione, & sexu. Atque interim cum franguntur vires & debilitantur, meditari secũ oportet, num à morbo prægresso, aut insigni quadam euacuatione per sudores, diarrheas, & hęmorrhagias, aut à labore, dolore, inedia, vigiliis languidæ vires extiterint: quæ distinguantur ab oppressis, quales initiis præcipuè morborum, ab humorum plenitudine & sarcina animaduertuntur.

Sit igitur prima conclusio. Languidæ vires ægrotantium, ne rursus inanitione aut euacuatione per medicamẽta fatigentur, oppressæ contrà euacuatione subleuentur & recreentur. 2. Diffitendum vbique de morbis qui sua sunt specie lethales, vt de apoplexia, lepra, similibusque, quorum cura non ab arte sed à Deo petenda & expectanda: qui solus non indiget succis, per quos renouata senectus in florem redeat. 3. Animaduertatur morbi malignitas, ex morbi vehementia, motu, & more, cum virium debilitate si sit coniuncta, tunc enim conclamatum. Debilitas etiam virtutis in morbo spe- *Conclusiones.*

rabili etiam suspecta, si cum cruditate humorum maximè iungatur: & morbi etiam magnitudo ac malignitas viribus in optimis timenda metuendaque. Natura enim longo itinere non potest ferre iniuriam morbi. 4. Occulta est natura ægrotantium in multis, maximèque in pueris, & mulieribus, in quibus sæpè natura sufficit ad domandos morbos specie graues, & symptomatum vehemen-
6. Epid. tia desperatos: sitque cognitum naturam curare morbos, vt testis est Hippocrates. 5. Minus periculosè laborant, quorum naturæ, aut ætati familiaris morbus est, quam cum horum nulli affinis est & connatus. 6. Tam in acutis quam chronicis, coctiones celeritatem portendunt iudicij certamque salutem: cruda verò & incocta, atque in malos abscessus conuersa, aut acrisias, aut dolores, aut diuturnitatem, aut recidiuas, aut mortem. 7. Curatio tribus constat, morbo, ægroto, & Medico. Ægri est vna cum Medico morbo reluctari, quod siquidem
In 1. Epid. ægrotus medico sit audiens, ait Galen.

& faciat imperata, socius efficitur Medico,& morbo hostis: qui si ab eo desciuerit, & quæ dictat morbus exęquatur,morbo adiungitur ægrotans:suntq; duo qui vnus erat aduersus Medicum. At ne quidem Hercules contra duos.

8. Quorum morborum alter superuenerit alteri, maximam ille partẽ interimit. Cum enim infirmo iam corpori, maleficientia morbi præsentis alter morbus incidit, prius ab imbecilitate moritur,quam morbus de nouo adueniens cursum suum cõfecerit. Adiungã tandem pro 9. conclusione & coronide omnis prognoseos, quod vbique consulendum & diligenter inspiciendum Medico: hóc autem est quod est Hipp. τὸ ἔξωθεν & ab externis,cum ait, Aphor. 2. 1. Oportet inspicere & tempus, & ætatem,& regionem,& morbos,in quibus conueniant,velnon.

DE MEDENDI RATIONE *ex postrema Medicinæ parte quæ est θεραπευτική.*

ENARRATIO XX.

Lib. de arte.



EDICO quid agendum natura demonstrat, ait Hippoc. Est enim Medicus naturæ minister & adiutor, imo sæpè oppifex primarius.

Quid ars Medica supra naturam possit.

Multa enim molitur Medicus, quæ natura vi insita qua pollet, non ageret: vt ossa luxata reponere, vulneris disiuncta labra adducere, & similia, quæ Chirurgia manuum ope perficit. Neque fortè natura posset contrarium morbo opponere, vt æstuanti febrí frigidam, aut veneno alexicacon, quod pharmacia arte parat & industria. Neque non immutata victus ratione, qua quis vtitur, dum morbo corripitur, restitueret ægrotos natura. Iure ergo ars Medica omnium

certè agendi præstantia & vtilitate prima, tria instrumenta hominum aptauit saluti, Diætam, Chirurgiam, Pharmaciam. Violatam leuiter salutem sola potest aliquando reparare natura, at grauiter obsessam tanta absque arte nusquam. Est igitur sanatio quæ fit ab arte, recta atque conueniens remediorum vsurpatio. Remedia dicimus, quæcunque corporis affectus præter naturam depellunt.

Quænam sint indicationes, coindicationes, & contraindicationes medendi.

Vt autem probè rectaque cum ratione & ægroti salute vsurpentur remedia, indicationibus opus est. Est enim indicatio agendorum insinuatio, vel comprehensio artificiosa iuuantis & nocentis. Offerunt se primæ quædam indicationes, quæ remedij genus, quantum, & quale, quomodoque debeat esse, demonstrant. Desumuntur autem à morbo, eius causa, & accidentibus, vnà cum parte morbo obsessa. Quas vt famosiores & ditiores in arte aliæ coindicant quæ tanquam assentatores, aiunt aio, negant nego, & concedunt quod aprimis indictum est. Eædem sæpè morosiores, & quod non ipsæ

Hæ sunt, vires aër ambiens,

ætas, consuetudo. & similes. afferunt inimicæ, contraindicāt, & impediunt quo minus fieri possit quod aprimis factitandum proponebatur. In socru Petri, gratia exempli, superiùs proposita est febris ardens seu causus, cum siti inexhausta, nigredine linguæ, vigiliis cæterisque accidētibus quibus stipatam fuisse hanc febrem non est dubitandum. Quis non videt à morbo, causa, & symptomatis indicatam esse venæ sectionem? hancque coindicatam à temperie ægrotæ, & aëre ambiente, vtrisque calidis. Quam tamen dissuadebant & contraindicabāt ægræ vires, ætas, sexus, morbi longitudo, solemnes quędam sed symptomaticę euacuationes, & astrorum fortè influxus. Ita ergò est in ordine indicationum, sed dicamus de singulis.

Quod curetur primo. Morbus, causa, & symptoma de primatu curationis decertant. Curatio ait Galen. vnam communissimam habet intentionem, ad id quod est dispositioni & morbo cōtrarium, ergò morbus debet curari primo. Sed contra ait etiā Galen. In omnibus omnino morbis in quibus effectrix causa adhuc

In art. part.

4. Meth.

manet, ab ea incipienda curatio eſt, ergò cauſa debet primum exſcindi. At idem Gal. theoremera magis neceſſarium dicit. Illa priùs curari præcipiens quæ magis vrgent. Atqui ſymptoma, vt dolor, frequentius vrget nos, prius ergo ſummouendum? Ibidem.

Sed motos præſtat componere fluctus.

Concurrentibus multis indicationibus, exordiendum ab ea eſt quæ cæteras vincit, vel ſine qua nihil effici poteſt. Si ergò concurrunt prædicti affectus ſimplices, naturali ordine, cauſa morbi primum exſcidenda eſt quam morbus aut ſymptoma, & inter cauſas ilicò externa, dein antecedens, mox continens. Si hæc non ita ſe habent ſed impliciti affectus ſint, temperatione quadam remediorum ſtudendum vt ordine ſubmoueantur, oculis in vrgentiores coniectis. Ita enim ſymptoma ſæpè ordinariam præfatam curam extraordinariè interpellat, quia cum vrget leniri debet, non neglecta tamen morbi cauſa, ad quam ſtatim in curatione deueniēdum, morbus ergo alteratione curatur à contrario. Principiū

est enim Medicum. τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἐστὶ ἰάματα. Causa scilicet per euacuationem fugatur à medicamentis electione purgantibus. Sedantur symptomata, alias à contrariis, dum oppugnamus morbum, alias à purgantibus excindendo causam, sepiusculè ab anodinis & contemperantibus. Hæc itaque omnia in affectibus prædictis contraria fiunt, vel positiuè vel priuatiuè. Quæ ergo rerum ignoratio suadet Paracelsistis morbum curari à simili. Res non alterari & expugnari à contrariis, seruari à similibus qui non censent, more Gigantum mehercule bellant cum diis, & naturæ repugnant. Frigida vbique pugnant calidis, humentia siccis.

Quid referemus enim quod nobis certius ipsis
Sensibus esse potest, quo vera ac falsa notemus?

De secunda indicatione. De cęteris etiam indicationibus breuiter differendum. Secunda ergò indicatio quę desumitur à temperie totius corporis

corporis ægrotantis, omnino contrarium superiori suadere videtur. Illa enim docebat per contraria abigendos esse morbos, hæc suadet sui custodiam à simili: imò tam religiosè vt Galen. de illa dixerit, vitiosum etiam temperamentum, tanquam rem consuetam esse seruandum. Non pugnant tamen hæ duæ indicationes inter se: Etenim si morbus ad sui profligationem contrarium exposcit, hæc etiam indicatio quæ sumitur à temperie totius, idem suadet: Contrarietatis solùm mensuram definit, & limites posuit, ne vel intra modum calidum refrigerando, aut frigidum calefaciendo, mali reliquum faciamus grauius, vel modum excedendo contrarium morbi genus inducamus. Rationali ergo coniectura, corporis natura adamussim cognita, rimandum quantum sit calidum, frigidum, humidum, aut siccum antè morbum, & quantum excedat in morbo. Quod enim plurimum à naturali recessit habitu, validioribus eget contrariis. Exemplo inclarescet ars. Sit Inclinata mulier, in prima huius operis

11. Meth.

parte proposita, decem gradibus insiccitatẽ lapsa, in frigiditatem septem: qui arte tentasset illam reducere, indigeret auxiliis septem gradibus calidioribus, humidioribus verò decem. Et ita de cæteris à proprio temperamẽto recessibus ponderandum. Agerę tamen hoc Medicũ, hoc opus hic labor est. Nec iniuria bacculo nodoso nititur Æsculapius, abdita enim artis qui explicat, indissolubiles nodos soluere tentat. Ἡ χεῖρις χαλεπή, & benè ille. Si mihi adamussim ægrotantium natura esset cognita, & perspectæ remediorum omnium vires ac potestates, non minus mederer morbis quam Æsculapius.

De tertia indicatione. Tertia est indicatio à parte corporis obsessa morbo, locos affectos Galen. vocat, magni momenti in curatione est hæc indicatio. Sit tibi ait Galen. in curando scopus partis natura. (2. ad Glauco.) Hæc autem non vt superiores solum ideam remedij, & eius mensuram docet, sed etiam & vtendi viam, per qua loca nempè abigendus morbus sit. Nihil autem magis expetendum Medico vt

ad imitationem naturæ se componat quam τὰ ξυμφέροντα χωρία Hipp. celebrata loca conferentia intelligere. Meditatur Galenus in parte obsessa temperaturam, conformationem, positum, & facultatem, quæ literis elegantissimis Fernelius persequutus est. Hi ergo de his perlegendi.

Ibidem.

Lib. 1. method cap. 8.

Hæ ergò primæ sunt indicationes curandi morbi. Quarta sequitur à viribus desumenda, quæ tamen cum non ad medendum, sed ad viuendum proposita sit, iure necessitatis cum superioribus de primatu contendit: quo nomine prima dicitur indicatio à Galeno. *Nam neque vt valeamus* (ait) *neque vt à morbis liberemur, ab ea quicquam primum desumimus, sed vt viuamus: Quamuis ex accidenti interdum virtutis roboratio ad affectus curationem conducat.* Hæc est Galeni de viribus meditatio. Sed quis non videt vires ægroti non simpliciter indicare, sed cęteras omnes indicationes terminare? Curare etenim, aut præcauere morbum, sedare symptomata, quid aliud est quam tueri vitam & vires? De conseruandis au-

De quarta indicatione.

9. meth.

tem viribus ars est Diætetica, quę non minima pars est therapiæ. Consistit autem pręcipuè in aëris & cibi gubernatione cum hic de ægrotis sola sit mentio. De sanis enim non iniuria dici potest, omnia sana sanis. In ægris ergo accommodanda est victus ratio morbo.

In primis, qualitas cibi pugnet cum morbo eiusque causa. Ita febricitantibus frigida & humida, sorbilia, & liquida damus vt præcepit Hipp. lib. de DIæta & in Aphor. *Victus humidus febricitantibus omnibus confert maximè verò pueris & aliis qui tali victu vti consueuerunt.* Quantitas autem cibi vires inspiciat & morborum tempora: de primo Aphor. est, *Coniectari autem oportet an æger cum victu sufficiat perdurare donec morbus consistat.* De secundo. *Quando morbus in suo vigore constiterit tunc victu tenuissimo vtendum.* Tempus cibandi est, cum à paroxismo abest longissimè morbus. *In accessionibus abstinere oportet nam cibum dare nocuum est, & quibus per circuitum fiunt accessiones, in ipsa accessione abstinere oportet.* Ad hæc etiam circunstantiæ sunt in cibo obser-

Aphor. 16. 1.
Aphor. 9. 1.
Aphor. 8. 1.
Aphor. 11. 1.

uandæ, ab ætate, consuetudine, & aere nos ambiente. Qui facile aut difficile ieiunium ferat & quo tempore docet Hipp. *Senes* (ait) *facillime ieiunium ferunt, secundo loco qui ætatem consistentem habet, minus adolescentes, omnium minime pueri præsertim qui inter ipsos sunt viuidiores.* Et in sequenti *Æstati & autumno cibos difficilime ferunt hyeme facile, secundum locum ver habet.* Sic igitur conseruantur vires, quas limus sitas esse in humido radicali solidarum partium, calore natiuo, & spiritibus. Has aere recreamus etiam contrario morbo. Illæ resarciuntur cibo & potu vt enarratũ est. Cæteras omnes indicationes ab aëre, ætate, consuetudine, naturæ proprietate, sexu, morbi circunstantiis, remediis & sideribus prætermitto lubenter. Qui Medicinam faciunt, vt qui nodum in scirpo ad salutem querunt, has omnes contemplentur exactius. Res mihi cum iis quos scientia ad ægritudinum cognitionem, magis quam ad vsum delectat. Hic artis quædam rudimenta ponuntur, Medicinæ studiosis, vt credo, non infœcunda.


Aphor. 13.1.

Aphor. 18 1.

De cæteris indicationibus.

Scimus Medicos non vt boletos vna nasci vel altera die, sed longa scientiarum & artium cognitione, vsu & experimentis con firmari. Audi quos futuros probet Medicos summus artis præceptor & nostrorum omnium bonorum pater Hippocrates. *Quisquis ait Medicinæ scientiam sibi comparare volet eum his ducibus voti sui compotem fieri oportet. Natura, Doctrina Moribus generosis, Loco studiis apto, Institutione à puero, Industria, & Tempore.* Sed de his hactenus.

Laus tibi Christe Medice cælestis.



TERTIA PARS OPERIS.

SINGVLORVM MORBORVM QVIBVS PROPOSITI aegroti detinebantur datur Medica Diagnosis, Prognosis, & Therapia.

PRAEFATIO.

PROPONENDA est morbi diagnosis, prognosis, & medela, apodictica sciendi arte ex subiecto, affectione, & causa, quibus nempè sillogismus demonstratiuus constat. Et ex quo facilè potest concinnari definitio, mutatis videlicet terminis. Ita vt diagnosis morbi seu cognitio nihil

aliud sit quam aut definitio morbi, aut demonstratio : cum plura tribus terminis in his tribus non reperiantur. Ordine igitur resolutiuo in cognitione morborum incedentes, a definitione erit exordium, quam in suas partes resoluendo, dicemus primo de affectus specie, de parte affecta & subiecto morbi secundo,tertio de causa : in quibus tanquam in cardine vertitur morbi essentia, eiusque cognitio. Succedet deindè prognosis quæ ex iisdem fontibus præterfluit. Qui enim affectus speciem,partis affectæ naturam,& causam morbi probè dignouerit, is certò de morbi euentu prædicere potest. Magnitudo enim morbi, & virium robur, suis adiunctis conditionibus,duo sunt prognoseos summa capita. Sic à prognosi dabitur ordinaria morbi curatio, à causæ nempè summotione ad affectus profligationem, & curam. In singulis interim eam proponemus naturæ imitationem in expũgendis morbis,quam vbique suadet,cuique maximè studet, summus artis Medicæ dictator Hippocrates precipue in ea lege

quæ sic est. Quæ ducere oportet, quo maximè vergunt, eo ducere διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων per loca conferẽtia. Et cum alibi ait, ᾗ ῥέπει ducendum quâ vergũt: spectata partis videlicet naturâ, & humoris morbifici propensione & inclinatione. Quæ sanè longo artis vsu & exercitatione ab Hippocrate, & senioribus Medicis sunt diligenter obseruata. Exulent ergò ab arte Empirici nebulones, mendicent perpetuò Agirtæ & nugiuenduli Chymistæ, qui vno calopodio omnes calceant: nullaque morbi aut naturæ habita ratione, quæ non vbiquè similis est, similibus tamen illi indulgent, & similia omnibus cum ægrotis tum morbis remedia propinant Simiæ artis nugacissimi. Ita enim in medendo se gerit bonus & rationalis Medicus naturæ minister & imitator, vt intellecta cuiuslibet ægroti particulari natura & tẽperie, cognito in specie morbo & eius causa, remedia optimis experimẽtis & cum ratione cognita, benigna & naturę accõmodata exhibeat, ad imitationem naturæ causam morbi deturbans

per ea loca, per quæ nulla corporis aut virium perturbatione & iactura, solet natura in bona crisi coctos humores amandare, eosque fœliciter deijcere. Non enim absolutè Medicus, sed Medicus cum natura curat morbos. Νουσῶν φύσιες ἰητροί ait Hippoc. Magno etenim adiumento adest naturæ Medicus, minuendo id in primis quod naturæ onerosum est, præparando corpus & humores, aut per ἐπιχέραιν eos expurgando, in quibus videlicet natura non sufficit, & eam roborando cum deficit. Sed vt Æneas ad aurigam suum. Age nunc scuticamque manu depictaque lora corripe.

De Lepra seu Elephantiasi.

ENARRATIO I.

FACIT ordo scriptorum D. Matthei qui à Leprosis miraculosas Christi D. incipit sanationes, facit & ars quæ de externis morbis tanquam faciliori-

bus primum agere dictat, vt nos etiam has noſtras enarrationes incipiamus à Lepra ſeu elephãtiaſi. Eſt enim morbus hic cutaneus cuius eſſentia & ſigna in cute ſunt conſpicua. Cum au- *Lepræ nomen æquiuocum.* tem Lepræ nomen in ſcriptura ſacra fœdiſſimum & turpiſſimum morbum ſignificet, quo affecti ab hominũ cœtu & neceſſitudine excluduntur, in ſcriptis autem Græcorum fœdam ſolum ſcabiem ſine contagio: vt omnis vitetur æquiuocatio nec obſcuris irretiamur vocabulis, eadem nobis deinceps vtriuſque verbi erit poteſtas & Lepra & elephantiaſis idem ſignificabunt.

Lepræ autem nomen ἀπὸ τοῦ λεπρύ- *De nominibus Lepræ.* νεσθαι quod ſcabrum fieri & albeſcere ſignificat, aut ἀπὸ τοῦ λεπίδων à ſquãmis quibus ſępè corpus Leproſum ſcatet: latinè cum in Lepra reſimæ fiant nares, ironicè Lepra à lepore naſi. Sic & elephantiaſis ab elephante. *Elephanti morbo.* (ait Aretheus) *Et feræ Elephanti multa ſunt communia in ſpecie, colore, magnitudine & victu.* Et cum malum ſulcauit frõtem rugis qualem in leone

cernimus Leontiasis etiam vocatur: vt & Satyriasis ob faciei saturatum ruborem & inexplebilem coëundi libidinem qua vt satyri percelluntur Leprosi. Vbi cadunt à capite pili Alopecia, quo morbo detinetur vulpes quæ græcis est ἀλώπηξ. Tandem cum morbus hic contumacissimus inexpugnabilis & indomitus euasit, vt fortissimus hominum habitus est Hercules, sic ille & Herculeus nuncupatur. Mihi Marpesius homo Leprosus iure dici posset, durescit totoque corpore insensilis est vt marpesia cautes: aut alter Lychas quem Hercules furens in saxum dedit; sic torridus feruensque ab hepate ignis, saxeos efficit elephanticos.

Ille per aërias pendens induruit auras,
Vtque ferunt imbres gelidis concrescere ventis
Inde niues fieri: niuibus quoque mole rotatis
Astringi, & spissa glomerari grandine corpus.
Sic illum validis iactum per inane lacertis.

Exanguemque metu nec quicquam humoris habentem.
In rigidos versum silices prior edidit ætas.

Cæterum crassè philosophantur qui ex propositorum animalium nomine, diuersas huius mali species factitant. *Definitio Elephantiasis.*

Sed proposita methodo morbum à definitione auspicemur, quæ postea per partes exarata omnem morbi cognitionẽ expandat. Definiebatur Auicenæ *Infirmitas mala ex diffusione choleræ nigræ in corpus totum, ex qua temperies membrorum & forma corrumpitur, ita vt tandem partes carnosæ solutione continui excidant.* Cauliacensis Guido Chirurgiæ magnus hodiè magister, definit Lepram *maximum errorem virtutis assimilatricis, qua forma corrumpitur in toto.* Alij alio modo finiunt. Ego sic. Elephantiasis seu Lepra est omnis morbus totius corporis, sed maximè cutis & externarum partium, ex humoris melancholici non solùm exustione & assatione, sed etiam contagiosa Lue infecti. Hæc definitio & affectus speciem, & partem affectam, & Lib. 4. Fen 2. tom. 3. c. 3. Trac 6. doc. 1.

omnem exprimit causam, in quibus vera morbi cognitio consistit.

Quomodo Lepra sit omnis morbus.

Lepra ergo est omnis morbus, in ea enim reperitur primò intemperies calida & sicca, cum qua maximè humores feruescunt. Inde vt Aretheo visum est, efferuescentia cessante & fatiscente incendio, in frigidam abit intemperiē morbus hic. Reperitur etiam in Lepra morbus conformationis, totum enim corpus intumescit, rugis asperis excauatur, scissuræ descendunt veluti nigri in corio sulci. Atque tandem manifestò tertium morbi genus in ea se ostentat, cum partes interse dehiscūt & earum soluitur continuitas. Vt ergò grauissimis visum est Medicis pestem omnem morbum esse, sic de Eelephantiasi pronuntiare ausus sum, in qua & omnia morborum genera, & infinita eorum symptomata conspicua sunt.

In Eelephantiasi esse contagium.

Contagium etiam habet cum semi-nario Lepra, quo alios attactu & respiratione olida inficere potest Leprosus. *Omni tempore quo Leprosus est & immundus solus habitabit extra castra* ait in Leuitico. *Expulsi sunt*, ait Iosephus, *omni*

Leuit. 13.
3 antiq c. 13.

à ciuitate, cum nullo penitus conuiuentes, & nihil à mortuis dissidentes. Notabantur Leprosi proprio amictu, lacera veste & pannosa, & nudato capite incedebant: modo solis crepitaculis semouentur à sanis. Contagiosus ergo est hic morbus. Notat tamen Galen. quibusdam locis vernaculum esse & patrium, vt ob insignem loci caliditatem in Ægypto. Nec mirum tamen si aliis in locis contagio communicetur: scribunt enim luem veneream quibusdã Indię locis, vt in Scytia fuisse popularem & endimiã, & à postremis nauigatoribus apud Europeos trãsuectam. Ita canit in syphilide doctissimus, & Poëta, & Medicus Fracastorius. 1. ad Glanc.

Sic Elephas sacer ausoniis incognitus oris.
Sic lichen latuere diu, quibus incola nili
Gens tantum regioque omnis vicina laborat.

Quæ sit deinde pars affecta in Elephantiasi inuestigatione secundum est. Paulus cum Elephantiasis sit cancer quidam vniuersalis, totum corpus in *De parte affecta in Lepra seu Elephantiasi.*

illa iudicat esse obsessum. Sed cum maximè cutis & externa corporis facies in hoc morbo, tuberculis, pustulis, scissuris, tumida carne, & cadauerofo colorę deturpetur, iisque præcipuè se in cute faciei prodat, iudicarem faciliùs partem obsessam musculosum esse genus & cutem, quæ totius corporis commune tegumentum est. Quod vberius ex ratione formali morbi, quæ in errore virtutis assimilatricis consistit, mox in causarum explicatione demonstrabitur.

De causis elephantiasis

Post affectus speciem & partem affectam de causis dicendum. Has in diuinas & humanas diuidunt. Diuinæ dicũtur quę à Deo:cum,vt in veteri testamento, peccata hominum hac turpi corporum lue vindicantur. Vt factum in Moyse, Ozya, seruo Giësi, & Maria enarration. 1. de Leprosis dicebamus. Humanas autem morbi causas, vt Auicennę mos est, sic Medici, in primitiuas, antecedentes, & coniunctas diuidunt. Primitiuæ seu procatarcticę à rebus non-naturalibus & externis peti solent. Sic contrahitur, generaturque

De causa eius procatartica.

neraturque Elephantiasis seu Lepra ab aëre & cibo. Vtramque enim hanc caussam incusasse Galenum ex iis quæ protulit ad Glauconem palam est, vbi sic ait. *Itaque in Alexandria plurimi Elephantiasi tum ob victus rationem, tum regionis caliditatem laborant. In Mysia verò & Germania rarissimè affectus is grassari visus est. Et apud lactipotas Scytas nunquam ferè apparet. Sed in Alexandria ob victus rationem frequenter generatur: vescuntur enim pulte, lenticula, cochleis, multisque salsamentis: nonnulli verò & asinina carne, & id genus aliis crassam ac atram bilem generantibus. Quemadmodũ si ambiens aër calidus sit horũ humorũ impetus ad cutem fertur.* Hæc Galenus de caussis Elephantiasis procatarcticis, vbi notum est regiones calidas, & crassorum alimentorum victum, huic morbo dare opportunitatem, quod & à nobis notatum est in consilio de Leprosis. Ratio euidentissima est, incenduntur enim locis illis calidis corporis partes, vruntur humores, & calore alliciuntur ad cutem: quibus tandem mala qualitate affectis inquinatur aër quem

In calidis regionibus frequens hoc mali genus.

inſpirando ducimus, & à tetra ac putida exhalatione vlcerumque fœtore, fit mali ſeminarium & contages.

Quomodo etiã in frigidis fit regionibus.

Sed & in frigidis generari etiam regionibus non diſſuadet Galen. ſed ait rariſsimè in illis generari, certum tamen adeſſe: nec temerè his in locis Leproſos ſeparari. Ratio tamen difficilis eſt. Intemperantia victus his in locis, vt Gallia, Germania, Hybernia, ceteriſque ſimilibus accuſatur, vbi indulgent vino meraciori, carnibus veſcuntur aſsiduò & ſalſamentis: ſunt enim à prima compagine μεγαλόσπλαγχνοι grandioribus & amplis viſceribus, in quibus ab externo ambiente frigido & per ἀντιπερίστασιν, concipitur cœcus ignis quidam ardens & exurens, qui fouetur ἀπὸ τῆς κρεοφαγίης κρεῶν βοείων, καὶ οἰνοφλυγίης .i. ab edacitate bubularum carnium, & liberaliſsima potione vini. Atque hic hepatis & venarum grauis ardor, humorẽ gratioſum areſcẽdo indurat, qui è ſuauerubenti fit niger, aut cineritius, quique partibus corporis appoſitus, nequit probè in earum ſubſtantiam faceſcere & aſsimilari.

Eſt in externis etiam numeranda prosapia, ex parentum ſemine ſimili lue infecto: hȩreditarium enim malum Lepram exiſtimauit Auicenna. Contagioſus eſt etiam cum leproſis concubitus: quíque ſcortum elephanticum ſubegerit, non effugiet contagionem. Nota eſt & ferè in paræmiam verſa de Baccalaureo Monſpelienſi hiſtoriola, qui cum nobili muliere leproſa, quȩ illuc remediorum cauſa appulerat, rem habuit, eamque grauidam fecit, à qua & mutuò ille immedicabili Lepra, in omnem vitam grauidus factus eſt.

Contrahitur etiā hic morbus hȩreditario iure.

Hiſtoria.

Cauſæ antecedentes lepræ ſunt humores exuſtioni apti, & qui in atram bilem facilè migrant, de quibus ſuperius in phyſiologicis diximus. Cauſa coniuncta eſt, ab humoribus iſtis alimentum naturæ moroſum & inobediens, craſſum, exuſtum, incineratum, quod nequit aſsimilari. Cùm nequit apponi partibus alimentum (Galenus ait) fit hectica, & atrophia ſeu alimenti defectus: Cùm apponitur & non agglutinatur, abit in aquas & fit hydrops:

De cauſa antecedente & coniuncta.

cùm apponitur, agglutinatur, sed non assimilatur, lepra est in procinctu. Error ergo reuera virtutis assimilatricis est Lepra, vt Guido magister dicebat.

De errore virtutis assimilatricis.

Sed vnde dices, quod parti alimentum non assimiletur, partis ne, an alimenti vitio? Id certè in vtriusque dissimilitudine positum censeo. *Assimilat pro viribus* (ait Hipp.) *cùm id quod superingeritur superatur, id verò quod prius inest superat.* Et posteà (vt est ferè vbiquè αἰνιγματιστής magnus ille medicus & philosophus.) *Alimentum non alimentum si nutrire non potest, nomen est alimentum non opus: opus est res & alimentum non nomen.* Sed quam incœpit diagnosim morbi definitio, eam pro iure & ratione claudat. Sitque conclusum Lepram seu Elephãtiasim esse omnem morbum & contagiosum totius corpoporis sed maximè externarum partium musculorum nempè & cutis, ex humoris melancholici assatione, exustione, & mala qualitate affecti.

Lib. de Alim.

De signis.

Iam ergò suis signis plenè & planè innotescat affectus præsentia. Sed ne nos interturbet aliorum morborum

ſimilitudo, antiquum Hippocratis & Platonis ſciendi crytirion imitemur: Quidque in re ſimile ſit, quidque diſſimile expendamus. Conuenire videtur in multis affectus hic Elephanticus cum Lepra antiquis Medicis deſcripta, cum Lichene ſeu mentagra, & cum Lue venerea quammaximè. Ponderemus hoc ſtatera Medica.

In quibus Lepra hęc cõueniat & differat cum Lepra antiquis Medicis deſcripta.

Conuenit quidem affectus hic cum Lepra antiquis Medicis deſcripta, in ſcabie, ſquammis, furfuribus, pruritu, & omni ferè impetigine: ſed differt ab illa, veneno, communicatione, contagio, vlcerum forma, & doloribus. Neque enim vlcera ita formidabilia ſunt in Lepra antiquorum, nullaque ferè internarum partium labes, nulla formæ immutatio, nulluſque dolor vt in Lepra contagioſa ſeu Elephantiaſi, de qua nobis hic eſt ſermo.

Cum lichene & mentagra.

Conuenit etiam cum lichene & mentagra, contagio, & fœditate, quæ tanta erat, narrante Plinio, vt multis mors videretur optabilior. Differt tamen morbi charactere, colore, corporis immutatione & doloribus, quæ om-

nia & mitiora erant in lychene & omnino dissimilia. Cadebant è mento pili ab humorum corruptela in Mentagra, nutricatu deficiunt in Elephanticis. Sola facies in Mentagra conspurcabatur, hîc totius corporis nitor perit. Ibi nulla internarum partium labes, hic internarũ & externarũ clades summa.

Cum lue venerea. Sic & in lue venerea omnia ferè quę sunt in Elephantiasi comparent. Ideò superioribus annis, & cùm lues venerea grassaretur initio, graue fuit Medicis hanc ab illa sciungere. Vtrarumque affectionum idea nihil aliud tandem habuit dissimile, præter dolores, febres, & vlcerum formas, quæ in Elephantiasi non sunt, superueniunt tamen in venereis. *Pustulæ quidem*, ait Fracastorius, *in elephantiasi per totum corpus sparguntur duræ, & purpurascentes: quæ tractu temporis exulcerantur, & pus emittunt, verum non multum ac siccius quam in Syphilide.* Deinde Elephantiasis sedem habet in melancholico humore, lues verò in phlegmate sordido, eoque tenacissimo: quod nec fomite afficit, neque halitu in obuios exha-

lat, ſed ſolo contactu, eoque non leui: ſed tum ſolùm aiunt Fracaſtorius & Fallopius, cùm duo corpora contactu mutuo & confricatione plurimum incaleſcunt, vt in congreſſu libidinoſo, in quo purus cum impura & ſcorto ſalaciſsima, aut impurus cum pura, fœdiſsimè volutatur.

Impia ſub dulci melle venena latent.
Dolores item non excitat Elephantiaſis, nec vt in morbo veneris conuulſiones fiunt: conſiſtit enim Elephantiaſis in ſicco magis & terreno. Et ſi quæ materia peccat & in vitio eſt, non vt in lue circa neruos & lacertos, ſed per ſumma corporis oberrat: magis enim cutaneus affectus eſt, lues verò profundior & oſſeus. Eademque ratione cùm neque materia fluctuet in venis, ſed ſolidas partes perreptet & cutem, febrem in Elephanticis non accendit aut quam rariſsimè. Tandem lues illa & contages primis inſolita ſæculis, quæque mox è cœlo delapſa.

--- *Seſe in terras diffuderit omnes.*
Vt ſæpè in ſtipulas cecidit, cum fortè fauilla.

De face, neglectam pastor quam liquit in aruo.
Illa quidem tenuis primùm similisque moranti
Incedit: mox vt paulatim increuit eundo
Tollitur, & victrix messem populatur & agros.

Contra quam fecerit in Elephanticis quę primùm è cæco internarũ partium igne, in extimas corporis partes efferatur. Lues autem ab externis incipit, primordiaque ducit.

Paulatim caries fœdis enata pudendis,
Hinc atque hinc inuicta locos, aut inguen edebat.

Ex his ergò quæ Ὅμοια καὶ ἀνόμοια sint perspicuum est, patetque luem veneream, quæ ferè ab anno decimo supra 1500. in Europa grassatur, non esse mentagram Plinij temporibus assiduam, & vernaculam, nobisque modo inusitatam. Patet & Elephantiasimi ab iis omnibus dissidere tum idea, tum & symptomatum natura. Quod vberius clariusque fiet ex singulorum signorum Medica & Philoso-

phica explanatione.

Pauca equidem signa Elephantiasis in græcorum Medicorum lectione reperio: viginti duo sunt inuulgata neotericis, quæ passim reperies. Horum tamen certissima & morbo propriissima, quæ pathognomonica & assidua vocantur, sunt sex, quæ vulgus Chirurgorum vniuoca appellitat, vt cætera omnia æquiuoca, quæ videlicet incertam de morbo & ambiguam fidem ferant, cumulata tamen & cum certis signis coniuncta, nihil dubij relinquãt. Horum rationes sigillatim lustrare summoperè necessarium est Medicis, & Chirurgis, quibus commissa est iudicandi de Leprosis integra potestas & imperium. De his ergò ordine edisserendum, ab æquiuocis & communioribus ducto exordio. *De numero signorum luis venereæ.*

Durities & carnium tubercula, inter æquiuoca signa primas tenent, vt censet Valeriola, nec iniuria. Fit enim cum coniuncta Lepræ materia crassa & duriuscula nequit à virtute assimilatrice domari, & in partis substantiam euinci: vnde horrida, aspera, & inæ- *De signis æquiuocis.*

qualis remanet pars. Tumerit quidem partes in psora, lue venerea, & lychene, non tamen illa duritie pertinaci, quæ est in Elephantiasi.

Tenebrosus color secundum signum est, Morpheatum vocat Arabum Medicorum schola. Qualis autem color ille sit animaduertes ex vocabuli interpretatione. Significat enim Morphea vitiliginem, quæ affectio est modò cutanea, modò profundior. Vbique tamen vel alba, vel nigra, vt ex Celso

7.Epist.c.2. habet Manardus. Inde hunc colorem conijcies modò album, modò nigrum, modò mixtum, obscurum nempè aut citrinum. Est autem color ita varius,

περὶ χυμῶν. In Aph.2. l.1. pro humorum improba coctione, & cutis diuersa temperie. Nam, vt Galen. ait cum Hipp. τὸ χρῶμα τῶν χυμῶν ἐοικὸς ἀνθέων. Color similis efflorescit humoribus contentis. Color quidem non fit ab intemperie, sed illam vbique sequitur ex dispositione materiæ mixti. Talis enim est actus perspicui, luminosi, aut tenebrosi.

Pilorum casus & decidentia 3 signum est. Decidebant etiam in men-

tagra ſed ab humorum corruptela. In Elephanticis verò neque gignuntur, nec aluntur pili, generandis enim pilis ineptum eſt alimentum, vt etiam & pediculis. Ideo non generari pediculos, ſignum eſt Elephanticum huic affine, nec vnquam pthiriaſi Leproſos infeſtari viſum eſt.

Muſculorum manus maximè pollicis conſumptio & tabes 4. ſignum eſt. Enarratione 9. 2. partis vbi de artubus, 10 muſculos videbis cõſtituere motum pollicis. Qui horum tabeſcant in leproſis dubitatur. Eos eſſe qui inter pollicem & indicem excurrunt putat Lauren. Ioubert. pag. 229. Cõment. in Guidonem. Tres muſculi qui conſtituunt monticulum veneris & Tenar, cæteris carne magis abundant : credo igitur illorum tabem maioris eſſe momenti in ſignis Lepræ. Tabeſcunt autem muſculi digitorum facilius, cùm neruulis fibriſque conſtent quamplurimis, & paucula carne : ſuntque omnes natiua conſtitutione ſicci : hoc autem ita factitatum vt natura robore non mediocri firmaret pollicem, cui

tota manus innititur. Nec ineptè pollice excisos poletruncos vocant, sed commodè in eos retorquent non qui pollice, sed qui animosa vi cordis carent, timidique sunt vt Cerui, Lepores, Cuniculi.

Stupor & abolitus sensus externarum maximeque extremarum partium 5. signum est. Commune quidem pathema neruosis affectibus, vt in paralysi conspicuum est, quæ affectio est sine sensu & sine motu. Sed in Elephanticis suspectum, si careant sensu partium, certumque de malo si adest aliud quoddam principale signum. Iubebis, ait elegans Medicus Riolanus, vt oculis clausis locum acu punctum digito designent, hoc si non possunt & cætera concurrant, confirmatus est morbus, contagiosus, & insanabilis. Puncti autem cur non sentiunt? An quia crasso & attrabilario succo infarcti nerui refrigerãtur? An quia animalis spiritus qui partes calore fouet, aditu prohibetur? Perit autem in illis sensus non motus, quando nerui non per musculosum genus sparsi, sed cutanei

ſolum afficiuntur. Nec inconſultò ergo à nobis, pars affecta in hoc affectu dicebatur cutis, Non enim in Elephanticis profundiores afficiuntur nerui, raroque in illis fiunt conuulſiones, aut muſculorum retractiones & ſpaſmi. Incurrunt quidem aliquando affectum vulgarem quem Græci φυσώδην σπασμὸν, ſgrampum vulgò & Gallicè, *goute-crampe*, appellitant : cuius cauſa craſſus, & nubilus vapor eſt, è ventriculo ferè per cruditates in muſculoſas neruoſaſque partes crurum & tibiarum exhalans. Sed hoc parui momenti eſt.

Scabies & impetigines 6. ſignum ſolitariè & incomitatum nihil certi deſignat. Septimum tamen ſignum, grandines & tubercula ſub lingua, à retorrido calore humido ex humore craſſo congeſta, vt & illâc varicoſæ venæ vnde lingua intumeſcit, hæc inquam ominoſa ſunt.

Ardor & cutis punctura, octauum ſignum, minus certi quid habet, aliis enim morbis à cacochymia & humorum vitioſitate familiare eſt. Nonum

ſignum eſt, cutis criſpa, cutis qualis anſerum, ſed cùm in pſora & vulgari ſcabie etiam adſit, minus certi quid adfert.

Decimum ſignum eſt, vnctuoſa cutis, quæ reſperſam aquam citò reſpuit. Vitium familiare Mauritanis & Æthiopibus, in quibus obducta cutis ab humoribus, & calore externo liquante, redditur olida.

Infebricitatio vndecimum ſignum eſt, quod ratione mali intelligendum eſt: non enim in illis facilis eſt pororum cutis obſtructio, cùm iam cutis induruerit: nec proinde facilis eſt putridæ febris accenſio, ab ea cauſa Galeno & Medicis habita: quanquam accendi poſſint in Elephanticis ſpiritus, vnde ephemera, & humores acres bilioſi & mordaces, vnde tertiana & intermittẽs, & cõtinua generari poſſunt, imo & quartana ab atra bile: quanquam hoc rarò viſum ſit, & quartana apud Hipp. liberet nos à morbis magnis cerebri, & melancholiæ.

Aſtutos eſſe, doloſos, mendaces, & furioſos 12 ſignum eſt. Inſomnia

cum pauore formidolosa 13. Paruum habere pulsum exilem & crebrum tardumque 14. signum est. Sed tria illa omnibus melancholicis quadrant.

Decimum quintum sat graue est, qualitas nempè sanguinis. In Elephanticis enim arenosus, liuidus, plumbeus, & niger est sanguis. Hoc tamen parum refert, neque huic fidendum signo, cùm talis sit etiam Melancholicorum hominum sanguis. Sed celebre artificium antiquis fuit in detegendo sanguinis contagio. Mittatur è vena maiori in brachio sanguis, optimaque quantitate in tria infundatur vascula, interiecto panno lineo molli per quē fluendo transcoletur. Vasculum deinde primum respergatur sale. 2 vrina. 3 aceto acerrimo. Quod si neque sal dissoluitur, vrina & acetum exquisitè non permiscentur, iacta mehercule est alea, & sanguis prorsus Elephanticus iudicari debet.

Quod ab vrina tenui, alba liuida, petitur 16. infidele est, nec nisi vel obstructiones viscerum, aut eorum

imbecillitatem, & atoniam teſtari poteſt.

De veris & certis Lepræ ſignis.

Adeamus modò Tribunal veritatis, adducamus teſtes fideles & innocuos: ne innocenti & iuſto fiat iniuria, vel peccatori & contaminato iniuſta miſericordia concedatur. Faciei omne iudicium Lepræ delatū eſt, eſt enim faciei cutis tenellula, internorum omnium cùm morum tùm humorum dominantium ſpeculum & character. Pallet billioſorum facies, nigricat melancholicorum, rubet ſanguineorum: gaudio ſplendet, ira rubet, ſubpallet à metu, triſtitia collabitur, mœrore cadaueroſa euadit. In facie ergò comparent & elucent omnia quæ intus in corpore geruntur.

Atque de hoc morbo ſancita lex. *Nullis in facie apparentibus Lepræ ſignis, nefarium eſſe de illa ſtatuere.* Noluit exercitatiſſimus Gordonius eum Elephanticum pronuntiare, cui articuli ferè omnes putrida labe exciderant, cùm nihil haberet Elephantici in facie.

Sex vniuoca

Primum ergò ſignum vniuocum eſt

est in oculis & auribus, harum nempe partium rotunditas: corrumpitur enim piramidalis natiua in oculo figura, carne scilicet in osse lachrimali ad radicem nasi iacente, siccitate marcida, & oculorum musculis contabescentibus, quorum deformitate in orbem fastigiatur oculi figura. Eadémque de causa rotundantur aures, absumpta nempe pinnula quæ περιλόβιον dicitur. *Sex vniuoca signa lepræ.*

Secundum signum est in supercilijs, quorum depilatione & tuberibus, Simiarum faciem representant Leprosi. Hûc accersenda eadem quæ in superioribus causa. Cùm enim nutrimentum præ fæculentia exquisitè in partis substantiam non migrat & assimilatur, appositum intumescit, attollitur, & induratur.

Tertium est in dilatatione narium, in qua nempè narium partes (quæ Rufo Ephesio alæ & pinnulæ dicuntur) exteriùs amplificantur & dilatantur, interiùs comprimuntur & subsident. Illud ab humorum influxu, hoc autem à carię & interstitij narium putredine dependet. *Lib 1. de par. hom. c. 6.*

T

Quartum in voce rauca, clangosa, & tubarum more sonora contingit.

Claßica raucisonos disclangit buccina bōbos.

Auicenna vocat, *in naso gane* vulgò *parler renaud.* Absumuntur omnia vocis formandæ organa, exsiccantur asperæ arteriæ musculi, os bronchij durescit, larinx & epiglottis tabescunt, nec ab alio quàm à narium cuticula vox reuerberatur.

Fœtor anhelitus, totiúsque corporis malesapida aura est quintum signū. In Elephantico enim putredinis summa sunt omnia, articuli suis excidunt acetabulis, partes à compagine semotæ sideratæ decidunt. Sunt quibus alioqui probè constitutis & corpore valentibus fœtidus sudor emanat, vulgò dicuntur *capots, ladres blancs.* In quibus putrescens & fœtens pituita toto corporis habitu fœtoris seminarium est. Hi etiam suspecti sunt ob fœtorem, nec iniuria; *olet enim benè qui nihil olet, malè olet qui multùm olet.*

De iis qui vulgò dicuntur capots, ladres blācs

Conclusum tandem in Leprosos cum aspectu satyrico, horribili, & visui ingrato. Quo signo cum figuræ

deprauatione, labrorum crassitie, nasique simitate, iudicarunt antiqui Medici Græci confirmatos leprosos.

De lepræ prognosi.

His ergo notis explorata fœda & contagiosa lepra, totáque illius lustrata diagnosi & cognitione, sequitur quando illa curabilis sit, aut non, prædicere. In lepra ergo præiudicari debet dispositio, eámque ab habitu distinguere, ne dispositos tanquam leprosos inscienter abdicemus. Dispositio est habitus quidam inchoatus; nondum tamen in subiecto firmiter hærens, ideoque medicinæ præsidia non respuit.

De dispositionis ab habitu in morbis distinctione.

Sunt autẽ quædã manifesta signa quibus corpus ad lepram dispositũ intuemur, eaque non ab externis & ἀπὸ τῶν ἔξωθεν sed etiam ἀπὸ τῶν ἐνεόντων, & à vitio rerum quæ intùs sunt & intùs lædunt, expetuntur. Vt à natiuo & syngeneo hepatis ardore, viscerúmque intemperato statu. Incipit enim lepra ab internis, & vt ait Aretheus. *In visceribus tanquam in domo Plutonis delitescens ignis iam succenditur, internorúmque victor, rursum in superficie exardescit.*

Libr. 2. de diut. morb. cap. 13.

De quatuor lepræ temporibus.

Hæc igitur lepræ & elephantiasis dispositio habitum inchoat eiúsque primordia ducit. *Principium autem habitus lepræ* (ait cauliacensis Guido) *est quando tale nocumentum incipit tangere membra interiora.* Principium ergo cognitu difficile esse, cùm non in cute sed in internis sit inuestigandum, notat idem Aretheus. Augmentum verò est cùm iam malum in externis, vt in facie conspicuas habet quasdam notas. *Nonnullis*(ait idem author) *apparet in externa cubiti curuatura, in genu, manu, & articulis pedum.* In statu morbi summa sunt omnia, & vt dicitur, lippis & tonsoribus nota. In declinatione verò non ampliùs de morbo & eius signis, sed de morte cogitandum. Membrorum extrema, putredine & carie exesa decidunt, omnis perit corporis nitor, prorsúsque humana facies transit in satyricam, & de leproso facilè dicas quod de Satyro capto ad Apolloniam Plutarchus refert, qui ὅδην συωπῶς loquebatur.

In Sylla.

Lepra in sola dispositione curatur.

Quatuor hæc ergo morbi tempora si considerentur, quis non decernet

medicinam in solo principio morbi vel difficilè locum habere? Primò enim iam charactere morbi impresso, denegata nempè nutrimenti in partem assimilatione & ὁμοίωσι, facta in partibus nobilibus iam intemperie, quid sperandum? Dispositio autem, est ne morbi principium? Recentem curari aut prohiberi posse Holerius ait, & recentem vocat quæ annum non exuperat, sæpiúsque (ait) Medicus non vt curet, sed vt de morbo iudicet, conuocatur. Recentem ergo curat lepram, quę videlicet in dispositione est, vt fiat, cum autem èst in procintu, impossibile Medico, naturalibus remedijs delere morbum.

Magnus quidem (ait Aretheus) *est potentia morbus, & ad mortem inferendam longè omniū efficacissimus.* Moriuntur autem fatiscente incendio, & depeculato vitæ genio, calore nempè viuifico: túncque ingens accedit partibus frigiditas, vel potius congelatio, seu quædam sæua hyems, cùm aqua in niuem, aut grandinem, aut glaciem conuertitur. Tandem ferina illa quæ

hîc dominatur melancholia, proritationem & edacitatem ſummam in totum corpus exercet. Cuius ſunt tres
Acre, acidum, errodēs. qualitates feroces, τὸ δριμὺ, τὸ διαβρωτικὸν, τὸ ὀξῶδες, quæ non ſunt in nigro humore vel ſucco melancholico, ſed in exuſto eo, aut bilioſo humore aſſato, ex quibus atra bilis generatur. Vt de ſecundo principio conſtituente à nobis Enarrat. 5. 2. partis dictum eſt.

6. Aph. 38. *Cancros ergo ne tangas occultos*, ait Hippocrates, *curati enim citiùs pereunt, non curati longiùs vitam protrahunt.*

Ouid. *Concaua littoreo ſi demas brachia cancro*
Cætera ſupponas terra, de parte ſepulta
Scorpius exibit, caudáque minabitur vnca.

De cura. De cura ergo incurabilis morbi dicere eſſet inutile, ſi ſpes quædam curationis in diſpoſitione mali, aut eius principio non affulgeret. Diſpoſitioni ergo graduíque primo detur curatio: cæteris autem gradibus augmento, ſtatui, & declinationi non denegetur leniens, quam vulgus palliatiuam cu-

ram vocat, quæ non affectus curationi, sed vitæ conseruandæ & prorogandæ studet. Eadem autem est hîc præcautio quæ curatio, ijsdémque ferè auertimus, quibus euertimus morbum.

Ad instar ergo cancri particularis, vniuersalis cancri curatio multis commoda visa est. Illius autem hæ sunt indicationes. Procatarcticis omnibus causis & externis excisis, antecedentes quæ in humorum constitutione positæ sunt, expurgandæ sunt & præparandæ, corroborandæ partes internæ, ac tandem topicis & externis remedijs, humorem partibus impactum & causam continentem morbi discutere cõuenit. Has ergo curandi leges cancro vniuersali licebit accommodare, si addatur illa quæ posita est à Fracastorio: vt scilicet morbi præsentis venenata & contagiosa lues suis extinguatur antidotis. Hanc enim qui non tollunt ac præuident, morbum nec auertunt, nec curant.

Sed ardua proponitur quæstio. An in eo qui non dispositus ad lepram, *Quæstio.*

contagione tamen ab alio fuerit conſpurcatus, vbi eius curam ſuſcipimus, ſtatim ab initio ſit mittendus ſanguis, & imperanda purgatio, cæteráque factitanda remedia quæ prima ſuadet indicatio. Reſpondet Fracaſtorius.

Solutio. *Quoniam in ea elephantiaſi quæ contagione contracta eſt ſanus alioqui exiſtit homo, & melancholia non exuperat, quid per ꝺeos oro facies, ſi per initia materiam digeras, eámque euacues?* Sufficit ergo Fracaſtorio in hoc caſu alexipharmaca propinare, quod quomodo fieri poſſit non ſatis apertè video: nec quomodo alexipharmaca illa, quæ ſummæ ſunt actionis, propinanda veniant ſine perturbatione totius corporis, & aucti morbi ſuſpicione: plethora nempè corporis præſente, aut vrgente cacochymia & humorum impuritate. Neq; enim in peſte morborum omnium hercule, theriacam exhibere tutum eſt, niſi priùs plethora ſectione venæ, & cacochymia purgatione fuerit inanita. Si ergo ſequendum ſit Fracaſtorij iudicium, id cum præmeditatione faciendum cenſeo.

Lepræ autem alexipharmaca quæ magnam videlicet vim morbo inferunt, iudicio etiam Fracastorij, hæc sunt. Nitrum, sulphur, helleborus, cedria, thus, iris, argentum viuum, & vinum viperinum maximè, quod est Galeno cæterísque Medicis commendatum: vt spagiricis hydrargirosis, & aurum potabile, quo si dijs placet leprosos mundant. Sed facetè Riolanus ait, remedium illud esse grauius morbo, cum peiorem inducat affectionem, nempè paupertatem. Cuius sententiæ sunt qui pluris faciunt diuitias cum pauco lepræ seminario, quàm paupertatem cum sanitatis affluentia. *Lepræ alexipharmaca.*

In mare cetiferum ne te premat aspera egestas

Desidi, & à celsis corrue Cyrne iugis.

Imminentis aut iam incœpti morbi curam ergo sic auspicamur, vt humorum multitudinem & eorum corruptelam auerruncemus, mitioribus præsidijs non vehementioribus, ne malum exasperent, aut vehementi caliditate vsque maligna ad augeant. Vindicemus ergo corpus à multitudine & *Generalia morbi remedia.*

plethora ſanguinis, venæ ſectione, & à cacochymia purgatione: Ne quid deinceps poſſit fouere morbum, aut quo minùs propria adhibeantur remedia alexiteria impedimento eſſe. Factis ita generalibus remedijs de morbo cogitandum.

Propria morbi remedia. Conſiſtit morbus in partium intemperie, cauſæ continentis corruptela, & contagio: quibus opponendum eſt in primis remedium alterans, ſecundò euacuans, tertiò alexiterion ſeu alexicacon. Hæc autem præſtamus trium inſtrumentorum ope, Diæta nempè, Chirurgia, & Pharmacia. *Diata.* Diæta ſeu victus ratio morbo contraria eligi debet, pro ratione humoris morbifici, vbique virium robore æſtimato. Sic de aëre, cibo & potu, cæteriſque rebus externis penſitandum: quæ tamen iudicio præſentis Medici ſunt relinquenda. In diætæ enim ratione & victu, quæ vnius palato ſapiunt, alteri ſunt ingrata & iniucunda.

Tres mihi cõuiuæ prope diſſentire videtur.

Chirurgia. Ad chirurgiam, docet nos præceptor venas inferiores in melan-

cholicis esse aperiendas cùm ait. *Melancholia & nephritide laborantibus hæmorrhoïdes superuenientes, bonum.* Quæ euacuatio morbo est admodum conueniens, cùm non euacuationis ratione solùm morbum curet, sed quod qualitati & causæ morbi oppituletur, vt Galen. ait in com. Commodè enim sanguis crassus, qualis est in vino fex, per venas inferiores detrahitur. Præcipiunt eadem ratione venas aut extremæ manus, aut malleoli aperire: & Auicenna, si suffocatio imminet, venas etiam capitis, imò & iugulares tundit. Aph. 11. 6.

De pharmaceuticis remedijs, nempè vt humores præparentur ad euacuationem, consulenda est altera Hippocratis sententia vbi ait. *Melancholicos pleniùs per inferiora, ἁδροτέρως τὰς κάτω.* Vbi Galen. ait. propria & conferentia loca expurgationi humorum, esse per inferiora. Vt enim bilis superiora affectat: & τοὺς ἰχροὺς maximè biliosos ἄνω φαρμακεύειν, superiùs purgare cõuenit, sic τοὺς μελαγχολικοὺς ἁδροτέρως τὰς κάτω, scilicet φαρμακεύειν, ple- Pharmacia.

niùs per inferiora purgari debent. Mouendi ergo per inferiora Elephantici, hi enim maximè melancholici ſunt, & à melancholico humore laborant. Agendum autem moderatis remedijs, neglectis ijs quæ ab vſu receſſerunt. Familiaria ſunt ac tuta ætati omni rhabarbarum, ſenna, polipodium, carthamus, caſſia, manna, tamarindi, ſirupus roſarum, catholicō, diaſenna, confectio hamech, & huiuſmodi, quæ vel in pharmacopolio aſſeruantur, aut poſſunt præſcribi nutu, & decreto Medici dictantis.

Quæ autem per habitum corporis humores eliciunt, vt balnea naturalia, & diæta ſudorifica, cùm locus non ſit conferens, & præcepto Hippoc. ἄκτεα ᾗ ῥέπει ducendum quâ vergunt, hîc admittenda non ſunt. Alterantia autem quæ refrigerant & humectant, aut in calore tepent, ſunt huic morbo conuenientiora. Vt balneum tepentis aquæ, lac muliebre epotum, aut eius defectu aſinæ, capræ, iuſcula, hordeata & ſimilia, quæ pro virium, ætatis, loci, victus aſſueti, & tempeſtatis ratione

passim à Medicis tali in affectu decernuntur.

SVMMA MORBI LEPRÆ, & inquisitionis laborantium ab illa.

ENARRATIO II.



ON potest summa elephantici morbi seu lepræ, meliùs breuiúsque colligi, quàm ex allata à nobis illius definitione, quæ omnem morbi naturam exprimit. Cùm sic est, Lepra est omnis morbus totius corporis, sed maximè cutis & externarum partium, ex humoris melancholici non assatione solùm & exustione, sed contagiosa lue infecti. In qua definitione primò apparet morbi species, & vt ferè omnes morbi contagiosi sunt omnis generis, sic & in lepra omnis morbus cernitur, & intemperies, & deprauata figura, & vnitatis diuortium atque solutio.

Lepræ definitio.

Morbi species.

Pars affecta. Eius pars affecta, est totum corpus, sed maximè cutis & musculosum genus, hæ enim extimæ partes infectæ magis à morbo se dant oculis in apertum. *Causæ.* Eius causæ externæ, ab aëre, & cibo peti solent, quæ melancholicum sanguinem gignunt, hepatis incendium concitant, & antecedentes causas à melancholico sanguine fouent, & augent. Est autem melancholia seu atra bilis, huius sæuissimi morbi continens causa.

Signa. Eius signa plura sunt: sexdecim numerantur communia & æquiuoca, quæ non certò morbum ostendunt, sex tamen sunt vniuoca, & vera, quæ vbique morbum indigitant. Illa sunt 1. durities & carnium tuberculosa affectio 2. tenebrosus color & morpheæ similis 3. pilorum decidentia 4. musculorum pollicis tabes 5. stupor & abolitus partium sensus 6. scabies & impetigines 7. grandines sub lingua, 8. ardor & cutis punctura 9. crispa cutis velut anserum 10. vnctuosa cutis 11. infebricitatio 12. astutia & dolus 13. insomnia 14 pulsus paruus 15. sanguis niger

& fœculentus 16. vrina cruda. Vniuoca sunt 1. oculorum & aurium rotunditas 2. depilatio & superciliorum durities 3. dilatatio & nasi tortura 4. sonora vox & clangosa 5. fœtor anhelitus. Postremum omnium aspectus satyricus.

Hæc in vniuersum signa sunt, quæ in examine leprosorum meditari debemus. Inquiruntur autē hodie leprosi à Medicis & Chirurgis, ferè Guidonis Cauliaci arte, quam & nos sequimur. Quædam tamen notanda censemus, quæ ipse non exactè persequitur. In primis etenim diligenter cauendum est, ne in similibus affectibus, & cum lepra magnam affinitatem habentibus decipiamur. Sunt enim elephantiasi affectus similes 1. Lepra seu scabies antiquis descripta sub nomine lepræ, quæ simplex est vitiliginis species, non lepra hæc contagiosa, de qua sermo noster institutus est 2. Est etiam elephantiasi similis malus corporis habitus seu cachexia, quæ vitio hepatis & nutritiatum partium contingit 3. scrophulæ vniuersales & apparentes,

Qua arte detegendi ægroti.

Qui affectus sint lepræ similes.

in quibus, cum idem ſit aſſimilatricis facultatis ferè vitium, facilis eſſet deceptio. Poſtremo ſimillima illi eſt, lues venerea antiqua, & iam in habitũ verſa: imò luem veneream in lepram verſam nobis aliquando videre contigit.

Quibus ſignis de lepra certò decernimus.

His ita diſtinctis, hæc omnia ſigna in inquiſitione ægrotorũ à lepra inueſtiganda quidem & ordine, ſed in vniuoca & proprijſſima figendi oculi, dirigendúſque in illa animus. Certiſſima ſunt, in pertinaci carnium tumore, duritie, & tuberoſitate, vt loquuntur vulgò, in inſigni mutatione partium faciei, in fœtore anhelitus, in lapſu caſúque partium à putredine. Atque, vt doctè animaduertit Valeriola, *Nullis in facie apparentibus notis minimè poſſumus elephanticos iudicare.* Et Gordonius, in elephantico cuius articuli pedum manuúmque ferè exciderant, cùm nulla apparerent in facie ſigna, non eſt auſus elephantiaſim pronunciare. Contrà, Valeriola in caſu partium, & multa ſignorum equiuocorum ſyndrome toto corpore reperta, cum paucis vniuocis in facie, auſus eſt de elephantico decernere.

Para-

DE PARALYSI.

ENARRATIO III.



VT eodem ordine, quo in præcedentium ægrotantium historia vsi sumus, succedat morborũ enarratio, à morbis cerebri incipimus, nempè à Paralysi breuiter tamen omnes morbi capitis ita prænumerentur. In hominis cerebro tres maximas partes superiùs in anatome vidimus. 1. Membranas duas cerebrum inuoluentes. 2. Substantiam ipsam seu medullam cerebri. 3. cerebri ventriculos seu ductus. Singulis hisce partibus sui respondent morbi, & diuersa symptomata, quę nos in quatuor genera diuidimus. Aliud enim insurgit in cerebro symptoma cephalalgicon & dolorificum; aliud paraphoricon & vigilans: aliud cataphoricon & veternosum: aliud tandem quod est catarrhoicon & à defluxu. Dolores capitis cephalalgia, cephalea, & hemi- *De morbis cerebri.*

crania, membranas cerebri obsident. Vigilantia & somnolentia symptomata & paraphorica in cerebri substantia generantur, phrenitis, delirium, melancholia, mania, quæ deprauatæ functionis animalis nomina sunt; vt abolitæ, stultitia, amentia, extincta memoria. Cataphorica autem sunt & soporosa, veternus, catoche, lethargus. Catarrhoicon genus intus in cerebri ventriculis cuniculos agit, cuius sunt viuerræ funestæ, Apoplexia, epilepsia, vertigo, conuulsio, catalepsis, paralysis stupor, tremor.

Dicendorum methodus. Iam igitur inter morbos substantiæ cerebri agredimur paralysim, fuerunt enim in superioribus consilijs post elephanticos paralytici: Eadem ergo methodo, paralyseos cognitionem in diagnosim, prognosim, & therapiam dirimimus. Atque diagnosim ex affectus specie, parte affecta, & causis integramus. Quæ omnia cum vna definitione comprehendi possint, ab ea sic exordior.

Paralysis definitio ex Capiuaç. io. Paralysis est *motus ablatus musculi, dependens à frustratione facultatis motti-*

tis. Hæc est Capiuaccij, quæ mihi non arridet, cùm essentiam paralysis non absoluat. Scimus quidem Galenum. 3. de loc. c. vlti. neruorũ resolutionem potissimum dicere vbi motus deperditus est. *Qui tamen eius verba,* (ait Antonius Abaltomar. locupletissimus rei medicæ scriptor) *ritè perpenderit, eum sensisse reperiet exquisitam seu veram resolutionem, cùm tum sensus tum motus vim, partes amiserint.* Verum autem esse, quod ait Antonius ex 1. de sympt. caus. comperies, vbi Galen. Apoplexiam, quæ motus omnis, & sensus priuatio est, vocat totius corporis paralysim: & torporem etiam dicit esse leuem quandam paralysim. Vt igitur res fiat apertior, Apoplexiam, paralysim, paraplegiam, hemiplegiam, meroplegiam, & stuporem, affectus admodum affines distinguamus, vnde definitio paralysis ad manum veniet quàm facillimè.

Apoplexiam benè definiebat Fernel. cum Aëtio, repentinam motus & sensus, omnísque animalis functionis priuationem. Nascitur enim Apople- *Apoplexia.*

xia intus in cerebro,& intùs nocet per catarrhum, quo cerebrum ipſum valde oppletum fatiſcit & vim animalitatis nullam edit,,cum amiſſione ſenſus & motus in vniuerſo corpore. Fit autem Apoplexia repentè,& cum difficultate reſpirationis,cum qua à ſopore & comate Arabibus Medicis Subet dicto, diſtinguitur:atque ſi in Apoplexia ſumma ſit difficultas reſpirationis, & cum ſtertore, deſperandum omnino: hanc enim vocat Hip. ἰσχυρὴν fortem,& Galen. μεγίστην καὶ ὀξυτάτην maximam, & acutiſſimam, quam curare ſit ἀδύνατον.

In alijs autem affectionibus, catarrhi materia à cerebro foras tranſmittitur in cerebri ipſius πεφυκότα & propagines, vt in paralyſi, in qua non totum corpus, ſicut in apoplexia, ſenſum & motũ amittit,ſed partes quædam infra caput:in illa,inquam, catarrhi materia fluit in ſpinalem medullam & neruos, quę ſi ſuccedit debili apoplexię &partes infra caput reſoluantur omnes,dicitur paraplegia:ſi pars dimidia corporis hemiplegia:ſi quædam ſola pars, vt

1 Epid. ſec. 2.

Paraplegia, hemiplegia,

brachium in enarrato Euangelij Cæmentario, qui aridam habebat manum, dicitur meroplegia: stupor autem motus & sensus difficultas est non omnimoda priuatio, cum stupore enim in motu vel in sensu partes corporis hebescunt. Ita stupor & paralysis genere conueniunt, differunt κατ' ἧττον καὶ μᾶλλον. De consensu omnium stupor via est ad paralysim. Quid ergo delirant cum Aureliano, qui scribunt paralysim fieri, modò cum sensus, modò cum motus amissione? *meroplegias* *stupor.* Galen. 1. de caus. symp. 2. de loc. affect. Lib. 2. Chr. initio.

Sed missis diuersarum opinionum fluctibus nos in tranquillum portum recipiamus, & sic paralysis naturam aperiamus. Paralysis est *motus & sensus priuatio partium corporis infra caput à crasso & frigido humore musculosum genus & neruos imbuente, & obstruente.* Huius definitionis partes sigillatim excutiamus. *Definitio paralysis exactior.*

Quis in primis affectus est paralysis, morbus ne, an symptoma? Nomen λύσις symptoma sonat, & inditum est à symptomate, vt Galen. ait. Cùm autem tria sint genera symptomatum; actio *Quis affectus paralysis.* 2. Method

læſa, excrementorum vitium, & ſimplex corporis affectus, paralyſis eſt ſymptoma primi generis, quod in actione læſa ſenſibili & motrice conſiſtit. Læditur enim in illa ſenſus partium, & earundem motus. Quoniam autem omne ſymptoma ex morbo naſcitur, placet omnibus cum Galeno paralyſim ſequi morbos conformationis & eum morbum, qui dicitur in via, ſeu morbum obſtructionis: neruorum enim poruli obſtruuntur, vt mox dicetur apertiùs. Somniant quidam paralyſim ſequi morbos in numero addito, qualis morbus eſt ſextus digitus in manu: ſed morbi in via & obſtructiones ſunt in propoſito morbo vt aperiendæ ſic & apertiores & frequentiores quàm ſit aliquod adnatum parti.

Pereda in paſchaſium.

Quæ pars affecta in paralyſi.

Pars autem affecta & ſubiectum paralyſis, nunquam eſt totum cerebrum, aut eius ſubſtantia, ſic enim eſſet Apoplexia, ſed ſunt partes infra cerebrum: eſt enim paralyſis non in cerebro, ſed à cerebro. Partes autem ferè omnes inferiores infra cerebrum obſidentur in paraplegia, quæ ſuccedit apoplexiæ,

aut partes particulares in hæmiplegia & meroplegia. Et in paralysi illa vniuersali spinalis medullæ caput obstruitur, in alijs vt hæmiplegia, dextra vel sinistra pars spinæ. Diuisit enim natura corpus totum in duas partes, cuius limites facit media spinæ pars, ac si per lineam esset illa in longitudinem diuisa. Sic & neruorum propagines à dextra parte spinæ in dextram corporis partem, à sinistra in sinistram propagantur. Cum autem pars quædam corporis, sensum aut motum, aut vtrumque amittit & fit verè paralytica, vt digiti manus, aut pedis, pars læsa non transit partem spinæ, ex qua ad illam neruus fruticatur. Sic cum digiti manus afficiuntur, vt in Pausania Syro sophista, ad dorsi initium nec infra vertebras colli, aut cum crura non supra lumbos sed infra, causa quærenda venit. 3. de loc. af. c. vltimo.

Causæ autem euidentes & procatarcticæ huius affectus sunt, quæ exterius neruos contundere aut emollire vel comprimere possunt, casus, ictus, contusio, somnus in frigidissimo loco, *Quæ sint eius causæ procatarcticæ.*

mansio in domo recenter polita, Lunę radij, somnus intempestiuus, victus ratio frigidior, quæque humores crassos & pituitosos exaggerat. In vniuersum causæ omnes externæ, appulsu violento rerum extrinsecùs incidentium cõ-
Antecedẽtes. parantur. A quibus deinde mouentur internę causæ, quę intùs sunt, maximaque ex parte in humorũ crassorũ, viscidorum & lentorum cacochymia cõsistunt, quanquam non raró sit plethora comes, vt cùm iuuenes & benè carnosi in paralysim incidunt. Has omnes antecedentes causas appellitant.

Coniunctæ. Sequitur coniuncta, de qua sic philosophatur Holerius. *Cùm subitò & confertim paralysis hominem corripit, dubitandum non est substantiam neruorum humore per defluxionem imbui, vnde molliores redditi extenduntur & relaxantur, sicuti & tendones. Quo fit vt ob plenitudinẽ & obstructionem, spiritu non transeunte, vel quia leuissima contractione est opus neruo ad mouendam partem, membrum concidat & immobile permaneat.* Ita de causa coniuncta Holerius. Ego sic. Omnis musculi & nerui motus, est à

ſpiritu, ſpiritus enim à cerebro quaſi manu ducit facultatem mouendi ad neruos & muſculos: facultas enim in cerebro imperat, neruus imperium defert ad muſculum, muſculus obſequitur. Cùm ergo non mouetur muſculus, vitium eſt, vel in cerebro, aut neruo, aut muſculo ipſo. In cerebro facultas aut ſpiritus deficere poſſunt ab intemperie, aut imbecillitate quadam. In neruo vel eſt obſtructio, vel adſtrictio, compreſſio, aut refrigeratio, quæ tranſitum animalis ſpiritus per ipſum neruum intercipiunt. Muſculi tandem per tumores aut vulnera ſpiritum non recipiunt, vnde certè ἀκινησία & motus impedimentum.

Hinc ergo patet omnis cauſa coniuncta paralyſis. Sed quis eſt humor qui influit? Reſpondet Holerius non eſſe humorem melancholicum, qui potius exſiccat, nec etiam bilem cùm tenuis humor ſit. Quod in Fernelium dictum puta, qui in tertianarum febrium criſi propulſam aliquando in neruos materiam contendit, vnde ſit paralyſis conſequuta. Non negarem

Humor in paralyſi peccans

Fernelius vindicatur ab Holerio.

ego Fernelij experimentum, sed tunc à turgente bile flaua in febre tertiana, crudos & pituitosos humores in cerebro stagnantes, in spinam dorsi & neruosum genus impulsos dicerem, vnde fuit paralysis. Sic & pituita in arthritide commouetur à bile in articulos. Sic à vapore ventriculi sæpè impelluntur humores crassi è substantia cerebri in illius ventriculos vnde fit epilepsia; practicis Medicis per consensum dicta, vt fiet apertius Enar. 7.

Signa quæ demonstrant paralysim.

Signa paralysis conspicua sunt oculis, pars enim resoluta frigescit & obriget, ea quoque grauis est, cúmque attollitur mox sua mole recidit relabitúrque, laxa & mollis, tum sensus, tum motus omninò expers. Cùm enim vel motus, vel sensus obscurè remanet, in stupore pars est, nec verè paralysis dici potest, quanquam stupor illam certò prænuntiet. Fit enim paralysis, vt doctè Fernel. ait, alias ex debili apoplexia, alias ex stupore sensim aucto, qui paralysis est nuntius.

Prognosis.

Est autem paralysis, vt de prognosi me absoluam, vel primaria ab ipso ce-

rebro, vel consectaria & à morbo præcedenti. Illa vitio & imbecillitate cerebri & neruorum contrahitur, feréq; hæreditaria est: Ista paraplegia est & apoplexiæ succedit, vtraque cõtumax & insanabilis, quæ tandem in apoplexiam recurrit, vt in paralyticis Euangelij antea visum est. Resolutio (ait Celsus) quæ non per omnia membra sed in partibus fit, nunquam acutus sæpè longus ferè sanabilis morbus est: in senibus tamen serius (ait Holerius) & in hyeme difficilius, in qua tamen frequentiùs occurrit. A nerui diuisione & solutione Paulo est insanabilis, Lib.3.c.28. si cum spinæ luxatione contingat. Et paralysis in parte cum atrophia, nescit curationem ait Abaltomarius, quo iure, nos Cæmentarij manum aridam incurabilem antea dicebamus.

Curatio, vt ait Galen. vbique diagnosim & prognosim sequitur. Ex præfata ergo paralysis cognitione, clarum est hunc morbum in orgasmo & affluxu materiæ è cerebro in spinalem medullam, & illius πεφυκότα consistere. Cum igitur materialis morbus sit & ex

catarrhoïcon genere, euacuatione, reuulsione, & deriuatione curari certissimum. Euacuanda ergo in primis cùm præparatione materia, quæ vniuersalis, & in toto corpore, causam morbi coniunctam præcedit, eamque fouet: reuellendus deinde fluxus ad distantes & oppositas partes. Quod postremò in parte obsessa & paralytica contentum est & coniunctum, deriuare oportet, atque per loca parti & morbo conferentia subducere: non interim neglecta partis affectæ cerebri & neruorum corroboratione: hæc est curationis summa.

Collato igitur ad ægrotum morbo, & seruatis legibus artis, possunt remedia multiplicis generis & formæ paralyticis salubriter adhiberi. Clysteres frequentes sint in vsu, purgatio cùm minorans tùm vniuersalis, ex phlegmagogis & melãogogis medicamentis imperanda, phlebotomia initio si coniuncta sit plethora celebranda, præparantes potiones & iulapia ex nerualibus herbis, pillulæ per epicrasim expurgantes cerebrum & neruos,

tabellæ & oppiatæ roborantes, vbique præscribendæ; seruata ratione victus calida & sicca. Tum demùm balnea sulphurea, & nitrosa naturalia, vnguenta, emplastra, dropaces & phœnigmi, arte & cum iudicio decernantur. Quæ omnia sapientis & exercitati Medici prudentiæ committimus. Atq; de his omnibus extant vulgares praxes Medicorum, quæ omnium remediorum syluam continent: sufficiet nobis generales medendi indicationes demonstrare, quibus ritè perceptis facilis est & obuia Medico singulorum remediorum ratio & forma.

DE CONVVLSIONE.

ENARRATIO. IV.



MOVIT me catarrhoicon symptomatum consecutio, non vt morborũ enarrationes ad Euangelij seriem, sed Euangeliũ ad morborũ similes ideas accommodarem. Sequitur in eodem genere partis affectæ, paralysis, *Dicendorum ratio.*

humorum enim decubitu è ſubſtantia cerebri in ventriculos,& ab ijs in propagines, fiunt paralyſes, fiunt conuulſiones. Non iniuria igitur poſt paralyſim de conuulſione ediſſeremus, ad quam ſe obtulit mulier in Euangelio quæ erat inclinata,nec poterat ſurſum reſpicere. Eadem ſerie lunaticum epilepticum fuiſſe demonſtrauimus, ſicque poſt conuulſionem de Epilepſia agemus.

De motu corporis noſtri.

Iam ergo præuiæ cuiuſdam contemplationis in modum, antequam de conuulſione & iniuſſo motu dicamus, motum corporis leui penicillo adumbremus. Partes quæ mouentur in corpore ſunt muſculi, qui duplici motu mouentur,naturali videlicet,& contra naturam. Naturalis motus eſt, contractio, & extenſio: illa fit,cùm muſculi originem verſùs retrahuntur,& extenſio cùm relaxantur. Quòd ſi pars extenſa retinetur diutiùs,(vt fit cùm aues in aëre expanſis alis longo tempore ferè immobiles perſeuerant) dicitur motus tonicus, in quo partes quidem mouentur,ſed inſenſibiliter.

Hi ſunt duo præcipui muſculi motus ſecundum naturam, quorum cauſa efficiens naturalis eſt, nempè appetitus animalis ſeu voluntas, quæ appetitu commouetur, cui nerui obſeruiunt, & muſculi ex neruis & fibroſa carne conſtantes, obſequuntur. Motus autem muſculi contra naturam tripliciter concipitur. Primò, in quo non natura, ſed cauſa præter naturam eſt author motus, ſicque fiunt conuulſio, & palpitatio. In conuulſione quidem vt in motu naturali, fit retractio muſculi originem versùs, ſed non eſt propterea motus naturalis, quoniam cauſa morbifica facit motum. 2. datur motus vbi quidem natura agit, & eſt author motus, ſed à re præter naturã impulſa & vellicata: atq; hic motus non dicitur quidem cõuulſio, ſed conuulſiuus motus: Quo in genere ſunt ſternutatio, tuſſis, oſcitatio, pandiculatio, ſingultus. 3. datur alius motus vbi videlicet natura & cauſa morbifica ſimul operantur, & in quo non ſimpliciter natura bene valens vellicatur à cauſa morbifica, ſed & ipſa natura infirma-

tur, quo in genere sunt ſtupor & tremor. In ſtupore etenim natura ſegnis eſt, ſtupidúmque motum præſtat, in tremore pugna eſt inter naturam & morbum: natura membrum attollit, cauſa morbifica deprimit.

Definitio conuulſionis.

His ita de motu naturali & contra naturam explicatis, notior erit & apertior conuulſionis definitio à Fernelio propoſita, quæ ſic eſt. *Conuulſio eſt neruorum muſculorúmq; ſuam originem verſus, præter voluntatem perpetua contractio.* In qua definitione apparet conuulſio eſſe ſymptoma actionis motricis: non enim ſecundùm voluntatem & actionem naturæ fit in conuulſione muſculorum retractio, ſed à morbo, & cauſa morbifica, vt antea dicebamus. Eſt ergo verè conuulſio κίνησις ἀπροαίρετος, τῶν προαιρετικῶς κινουμένων, iniuſſus earum partium motus, quæ non niſi noſtro iuſſu mouentur.

An vero hîc actio motrix ſit deprauata, vel abolita in parte muſculorum: doctè notat Pereda, hunc morbum, dum fit, eſſe ſymptoma actionis deprauatæ, cùm tamen factus eſt, actio

actio motrix aboletur. Hoc videri potest in exciso neruo, vbi pars contracta æternùm ita remanet nullo nomine redintegranda. Fit autem conuulsio in accessione ipsa in qua nulla fit interruptio, nec est accessionibus distincta, vt epilepsia, sed firma iam fixaque, vt in tonico motu, & in qua retrahuntur musculi ab infarcto humore in ipsorum villis aut neruis.

Ad quē morbum sequatur paralysis.

Ad quem autem morbum sequatur hoc symptoma, cùm retractio neruorum duobus modis generetur (vt de causis dicemus) vel oppletis & infarctis neruis, vel exhaustis, negari non potest sequi morbos conformationis, quos vocant, in via, seu cauitate. Potest etiam fieri ab humida intemperie neruos opplente, aut à sicca eos contrahente: in quo paralysim & conuulsionem differre notamus. Nunquam enim paralysis fit à siccitate vt conuulsio cuius natura & ὕπαρξις est ἐν τῇ τάσει in tensione, paralysis verò ἐν τῇ λύσει in solutione.

Eius pars affecta.

Pars affecta in conuulsione, musculus est, cuius tamen partes immediatè

afficiuntur, nempè nerui, fibræ musculorum, ligamenta & tendones. Est autem à partium varietate duplex conuulsio, vniuersalis, & particularis. Vniuersalis totũ corpus obsidet, quod si antrorsum conuellitur fit ἐμπροσθότονος, si in dorsum seu retrorsum ὀπισθότονος, quando verò totum corpus ex æquo manet conuulsum & tensum, hæc conuulsionis species dicitur τέτανος. Particularis verò conuulsio, partem eam solam tendit, cuius neruus aut musculus in vitio est: sic in oculo fit strabismus, in mandibula trysmus, in ore cinicus spasmus, vulgò oris tortura, seu risus sardonicus.

Causæ cõuulsionis. Philosophantur practici vulgares ex Auicenna, de causis immediatis conuulsionis: iam enim Hippoc. duas nouerat causas, vel ἀπὸ πληρώσιος, ἢ κενώσιος, à repletione, vel inanitione: addunt illi tertiam per consensum, quam spasmum quẽ vocant nõ proportionatum ad materiam, concitare censent ex Auicenna. Sed hanc agnouit. Hippocr. in citato aph. 39. 6. his verbis *ita verò & singultus*, ac si diceret conuulsio

fit ex repletione vel inanitione & ab eo quod ventriculum lacessere potest. Agnouit etiam Galen. in Com. & iudicio Galeni singultum vocare quidem possumus ventriculi conuulsionẽ ampla verbi significatione, propriè tamẽ conuulsiuum motum: in quo nempè natura agit & talis motus est author, vt antea dicebamus, sed natura est impulsa & vellicata vel ab humoribus, aut maligna qualitate, quam agitatione & motu tentat expellere: idẽque de sternutatione, tussi, similibúsque motibus dicendum. Hos ego motus, partium erethismata, irritationes, & vellicationes aptius fortasè dicerem, horumque causam ad πληρωσιν reducerem.

Quomodo generetur conuulsio.

Restat ergo generari conuulsionem, vel cùm imbuti aliqua materia nerui in latum & profundum dilatantur, sicque longitudine decurtantur & ita retrahuntur: vel cùm resiccati, exhausto eorum humido, corrugantur, contrahuntur, & rumpuntur tandem. Vt in Liræ cordis intuemur, & de loris ad ignem admotis ostendit Galenus. Non

Libr. 3. de loc. aff. c. 7.

omittimus caufas externas, vt cibi ac potus intemperantiam, hæmorrhagias, alui fluxus, & cætera huiufmodi, quæ corpus immodicè vacuant, aut humorum farcinâ onerant: omitto lubens quas recenfet Holerius, cùm fit mufculorum retractio à vitio articulorum aut offium, in callo, aut excifis in parte neruis: in his etenim aut pars ægrè mouetur, aut manet immobilis.

Signa conuulfionis. Multùm deinde refert certis fignis acutiffimi mali caufas detegere, eáfque diftinguere. In vniuerfum membrum, in quod mufculi tendo inferitur, retrahitur in conuulfione, & à naturali fua figura defcifcit, grauique dolore torquetur, qui vires ad extremum profternit. Quo iure paralyticum in Euangelio cùm grauiter torqueretur, iudicauimus fuiffe conuulfum. A replentibus autem fieri caufis dat iudicium Gal. cùm ait. *Si aliquid fanum contigerit repentè conuelli, talem conuulfionem à repletione fieri neceffe eft, ab inanitione autem pedetentim accidit, fed eft infanabile malum.* (Com. aph. 26.2.)

Prognofis. Si igitur conuulfionem à repletio-

ne cum ea quæ fit ab exhausto & inanitione compares, hæc omnium est pessima & calamitosa: illa autem quæ fit ab infarctu & repletione, febre superueniente curatur, edicto Hippocratis. *Qui à conuulsione aut distentione neruorum tenentur, febre superueniente liberantur.* Si autem prædictas tres species inter se referas, habes in alia lege Hippocratem pro tribunali decernentem. *Quicunque tetano corripiuntur, in quatuor diebus pereunt, si verò hos effugerint, sani fiunt.* Ex emprostotono enim & opistotono compositus tetanus, citò vires dissoluit, *nec potis est* (ait Galen.) *tensionis laborem longiori tempore tolerare.* Exporrigit enim atrocissimè spinam tetanus, quam in extrema figura detinet, vbi naturaliter media figura spinæ familiaris est & amica. Tandem si conuulsionem veram cum ea, quam vocarunt ad materiam non proportionatam, & Galenus conuulsiuum motum, conferas, Troylum cum Myrmillone videbis.

Aph. 57. 4.

Aph. 6. 5.

Com. aph. 6. 5.

Gal. de motu muscul. 2.

Cura sequitur, quæ vulgari methodo pro ratione efficientis causæ susci-

De cura.

pitur, inuulgatum enim est Galeni axioma. In omnibus morbis in quibus effectrix causa adhuc manet, ab hac inchoandā curationem esse. Duæ sunt famosæ conuulsionis causæ, repletio & inanitio, ad quarum demolitionem lex est Hippocratis, *Quicunque morbi ἀπὸ πλησμονῆς fiunt, curat κένωσις, & quicunque ἀπὸ κενώσιος, πλησμονή.* Etenim vt ait Galen. *causarum facientium abolitio fit ex contrarijs.*

Lib. 4. met. c. 4.

Aph. 22. 2.

Conuulsio ergo ab inanitione, & siccitate si sperabilis sit, humectatione curatur hoc est renutritione, & exhausti reparatione. Docte Holerius conuulsionem ab inanitione non curari censet, sed prohibendum esse ne fiat amotione causarum vt febris, phrenitidis, aliorúmque morborum, à quibus nimia impendet siccitas.

In scholijs de conuulsione.

Iam ergo circa illam quæ fit à repletione & inflammatione occupemur. Hæc ergo conuulsio has habet indicationes therapeuticas. Morbus est à defluxu materiæ pituitosæ, & crassæ: ratione ergo materiæ desiderat euacuationem, ratione defluxus reuul-

nionem. Postremò partes cùm mittentes tùm recipientes sunt roborandæ, ne morbus earum vitio repullulet. Reuellunt & euacuant sanguinis missio, purgatio, cucurbitularum applicatio, frictiones, ligaturæ, linctus, vnguenta, emplastra: & reliqua quæ exercitato medico committi debent, vt in remediorum vsu, quale, quantum, quando, quomodo, diligenti meditatione obseruet. *Nihil temerè committendum*, ait Hippocrates, *nihil etiam negligendum*. Et ait deinde. *Contraria sensim adhibenda sunt, atque interquiescendum.* 6 epid. sect. 3.

Hæc est ergo nota & vulgaris methodus curandi hunc grauissimum affectum: paulò subtilior est illa Hippocratis, quæ ad imitationem naturæ comparatur. Hanc legimus multis in locis, sed expressa sunt verba coacæ, vbi sic ait. *Conuulsionem sanat febris acuta, quæ priùs non fuit, quod si priùs fuerit, exacerbata. Quinetiam prodest vrinam fluere albumineam, aluum ferri, & somnos inire.* Natura ergo tentat in primis omnem materiam morbi absumere febre: sed quicquid humorem ciet, neo 4. aph. 57. 2 26. 6. epid. cap. 24.

diſſipat, nec exhaurit, oppreſſionem adfeit maiorem: præſtaret ergo naturam quieſcere, quam aliquid fruſtrà moliri. Febris ergo quæ in conuulſis excitatur, non debet eſſe lenta, hæc enim liquando cieret humorem, non diſsiparet: ſi magna ſit etiam febris & acutiſsima vires deijcit, & lethaliter hominem habet: oportet ergo febrem inter lentam & vehementem mediocri igne ſæuire, qui vires non abſumat, ſed materiam morbi craſſam incidat, tenuet, coquat, & tandem diſſoluat in auras.

An Febris ſit in conuulſis excitanda.

Febrem ne igitur naturæ imitatione medicamentis excitabimus? Eſt quidem Medicus naturæ imitator, ſed remedio in quo eſt plùs periculi quàm ſpei, non eſt fidendum. Atqui in concitanda febre non poſſumus deliberare de remedij quantitate, occaſione, vtendi modo, cæteriſque therapeuticis conditionibus: ergo tutiùs ſequemur doctiſsimi interpretis Coacę conſilium quod ſic eſt. Vacuatio materiæ conuulſificæ natura, & artificio ad imitationem naturæ comparato ſuſci-

Duretus.

pitur, & absoluitur diarrhæa, & perirrhæa, illa est intestinorum & alui, hæc vrinæ & vesicæ. Perirrhæa cernitur in vrina crassa & alba, quæ plùs habet mucoris, vt ita dicam, quàm liquoris: vt enim talis vrina materiam præripit abscessuum in articulis futurorum, sic eosdem sanat obortos. Aluus deinde si feratur tum à cerebro, tum à toto corpore pituitosis excrementis. Tandem & somnos prodest inire, arctiores quidem sed tamen suaues, nec turbulentos, nec stertore importunos oris hiatu, aut stridore dentium insueto. Confert ergo ad conuulsionis therapiam imitatione naturæ, aluum ducere, vrinas ciere, & hypnoticorum vsu accersere somnos, non febrem concitare: ne fortè remedium grauius morbo, ægrotum non morbum de medio tollat.

DE GIBBOSITATE.

ENARRATIO V.



DVBITABAMVS an mulier inclinata in prima parte proposita, esset vel cōuulsa, vel gibbosa, vt ergo de conuulsione, sic de gibbositate dicamus. Vtroque autem in affectu: & in conuulsis, & in gibbis, spina dorsi contorquetur & variè inflectitur. Hoc vt notum sit, videnda in primis naturalis spinæ figura, ita præcipit Galen. *Vt in omnibus quæ ad medicinam pertinent, perspicuum sit, quod secundùm naturam est.* Est igitur spina dorsi, rachis dicta, tota quadamtenus recta, & vt Græcè dicitur ἰθυτενής, sed eius tres partes, collum, dorsum, & lumbi, inæqualiter se habent. Septem enim primæ vertebræ quæ collum constituunt habent figuram λορδὴν, & introrsum inclinatam, duodecim quæ dorsum cōplent figuram κυρτὴν extrorsùm protuberantem & gibbam, quinque autem lumborum

Lib. de ossibus.

De naturali figura spinæ dorsi.

introrſùm inclinant & deprimuntur. Talis eſt ergo ſpinæ, & partium eius ſitus, & poſitio, ex qua, de vertebrarum ſemotione, quæ eſt παρὰ φύσιν iudicandum. Vbi enim luxatę, aut aliena figura detinentur vertebræ, contrahitur gibboſitas, & gibbi fiunt aut ad λορδῶσιν, aut κύφωσιν. Gibboſitatis autem tres ſpecies deſcribit Auicenna, *Gibboſitas quadruplex.* gibboſitatem anterioris, gibboſitatem Lib. 3. fen. poſterioris, & contorſionem. Quæ do- 22.tract. 1. ctrina eſt etiam Hippocratis lib. de ar- c.12. tic. 3. quam collegit Liebautius ſcholijs in aph. 46. 6.

Gibboſitas enim anterioris, eſt Hip- 1. pocrati lordoſis, Latinè repanditas, Gallicè *enfonceure*, cùm in partem anteriorem vertebræ luxantur, ita vt in dorſo ſit cauitas & in pectore tumor. Gibboſitas autem poſterioris, eſt chi- 2. phoſis, quæ gibboſitas Gallicè vocatur, *boſſe*, *ou bouteure*, cùm foras ſeu in poſteriorem ſpinæ partem vertebræ conuertuntur. Contorſio tertia ſpe- 3. cies, Græcis eſt σκολίωσις, Latinis diuaricatio, Gallicè *entorſeure*, cùm inclinant vertebræ ad latus. Quartam re- 4.

censet Liebautius, cùm vertebræ in loco & articulatione manent, sed earum compago leuiter dimouetur, motio Latinis seu concussio, Græcis σῖσις, Gallicè *esbranlement.* Postrema tandem est curuitas in senibus, iamque decrepitis, quæ tamen nullo spinæ vitio contigit, de qua mirus Hippocrates. *Magnitudo corporis iuuenta quidem neque indecens, neque illiberalis : senecta verò inutilis, & deterior paruitate.* Corpus enim siccum & summa imbecillitate deiectum, sua mole in anteriora cadit, pronúmque terram spectat, in quam mox est reuersurum, quia cinis est, veréque de illo dicas.

Gibbositas senum.

Aph. 54. 2.

Ruit alto è culmine Troia.

Definitur gibbositas.

His ita intellectis, non erit obscurum duobus verbis gibbositatis definitionem exprimere. Est enim gibbositas *affectus contra naturam, in quo spina dorsi, vna vel plures, à re quadam præter naturam interna vel externa, loco semouentur, & ab articulatione decidunt.* Genus definitionis perspicuum est cùm sit species malæ conformationis, in situ: naturalis enim figura, spinæ dorsi

Morbi species

deprauatur, cùm intrò, aut foras, aut ad latus illius partes contorquentur.

Eius pars affecta eſt ſpina ſecundùm articulationem ſpondillorum, quę duplex eſt antica, & poſtica. Antica articulatio fit per σύμφυσιν, nempè cum ſineuroſi, validiori enim ligamento anteriùs firmantur vertebrarum corpora: poſtica fit per ginglimon, hoc eſt per mutuum ingreſſum apophiſεων obliquarum cuiuſlibet vertebræ. Eſt ergo in gibboſitate pars affecta, vertebra ſecundùm anticam, vel poſticam aut vtramq; articulationem. Ad quam etiam ſequitur deprauatio figuræ ſterni ſeu oſſis pectoris, & coſtarum, vt oculis patet. *Vertebrarum articulatio.* *Pars affecta.*

Cauſas habet gibboſitas cum internas, tum externas: hæ ſunt à caſu, & ictu, vt eſt apud Auicennam: Cauſæ internæ, doctè à Guidone explicantur, cùm ait fieri gibboſitatem dorſi, *ab humiditate cruda, viſcoſa, lubrificante, aut aliqua ventoſitate percutiente, aut ab aliquo apoſtemate impellente, aut à tuſſi moleſtante, aut à ſiccitate contrahente.* Dat Hippocrates cauſam ab aliquo tumo- *Cauſa.* Trac. *6.* Lib. de art. & com. *46.* *6.* aph.

re, aut tuberculo frigido, crudo, & duro, circa ligamenta vertebrarum congesto, vnde tandem asthmatici fiunt & anheli.

Signa. Cùm autem gibbositas fit à causa externa, qualis, & quanta fuerit narrat ægrotus. Humiditas verò illabens aut à cerebro, aut à toto per rheumata, demonstratur loco ipso humido, à contactu, vel apposito oleo, cùm non facilè exsuccatur, vt ait Auicenna. Patet etiam & à signis quæ toto corpore abundantem humiditatem demonstrant, flatus instabilis est, cum tensione, & sine febre. Tumor cum inflammatione si quæ sit, non caret dolore, febre, & rubore. Tubercula cruda & dura, dum diu persistunt, in asthmata, spirandi difficultates idque sine febre, deducunt. Si fiat à sicco gibbositas, consumptio corporis aut præcessit, aut præsens est.

Prognosis vbi supra. Incurabilis est omnis spinæ adimpleta & iam confirmata gibbositas, illa maximè, quam refert Hippocrates à frigido tuberculo. *Qui gibbi ex asthmate, aut tussi, ante pubertatem fiunt, sta-*

tim moriuntur. Certum enim est propter cor factos esse pulmones, ad inspirandum, & expirandum: si ergo thoracis cauitate aut depressa, aut conuexa nimis, angustia pulmones premit, respirationi pro certò incommodat. Quicquid autem respirationem adimit, vitam tollit, & maximè ante pubertatem, cum amplius non possit nutriri thorax, nec costæ increscant, vnde tabescunt pulmones, & ineunte pubertate & adolescentia moriuntur *ὑβοὶ κυρτοί.* Ab adolescentia verò thorace confirmato, sed deformi, querulam vitam ducunt, difficulter spirant & sunt anhelatores, ex eorum numero quos *ἀσθματικὰς* vocant, qui rectorum hominum comparatione celerius moriuntur & fatis cedunt, cum rarò, dicente hippocrate, sexagesimum annum attingant. Lib. de art.

Curatio.

De cura si spondili demoueri incipiunt, nec factum sit tuberculum, & cõfirmata gibbositas, agredimur frigidam & humidam causam, calefacientibus, resoluentibus cum quadam stipticitate: & inanito corpore, humidi-

tates cum dieta, si videtur, sudorifica, aut optima victus imperata ratione exsiccamus. Flatus si sint in causa dissipentur, tumores cum adsunt resoluantur, exsiccentur. Sedetur tussis & asthma, roborentur vbique partes.
Lib.23.c.8. Describit nobis thoracatas mulieres cum thorace nempè ferreo perforato Pareus, vt spinæ dorsi restituatur figura, aut eius seruetur concinnitas. Notandum interim quod ille in matres animaduertit, filiolarum enim pectora nimis arctè deuinciunt, quô sint rectiores, & maiori cum corporis elegantia incedant.

Illa placet gestu, numerosáque brachia ducit
Et tenerum molli torquet ab arte latus.

QVO-

QVOMODO DÆMON externa fiat multorum morborum causa.

ENARRATIO. VI.



ISA est inclinata mulier in Euangelio, non naturalibus deuincta laqueis, sed à tortore dæmone duris arcuata funibus. Vidimus lunaticum qui singulis plenilunijs cerebro humorum impuritate exundante, etiam à Dæmone agitabatur epilepsia. Vlulabat lupino rituLycantropicus in Genezareth,& àDęmone in deserta & monumenta euehebatur. Alios similes passim in testamento reperies,quos sacræ scripturæ interpretes energumenos appellitant,de quibus nefarium sit dubitare. Imo contra omnem veritatem, fidem,experientiam,& sapientissimorum, piorúmque virorum authoritatem cernunt, & decertant,qui hos energumenos & à dæmone obsessos

Aduersus eos qui dæmonum vim pernegāt & melancholiæ omnia tribuunt.

prehensósque pernegant, infensámque dæmonum vim in mouendis naturalibus causis flocci faciunt, & si quid præter naturæ modum aut violenti, aut stupendi agunt obsessi, id melancholiæ contra naturam in cerebro, aut toto corpore commotæ, attribuunt & concedunt.

Hi, vt dici solet, tota aberrant via, faciunt ne intelligendo vt nihil intelligant, qui cùm dæmonum vim exsibilant, veteres omnes scriptores, & omnes Patres Ecclesiæ Christianæ accusant.

Quorum æmulari exopto negligentiam
Potiùs quàm istorum obscuram diligentiam.

De differentia inter maniacos & à dæmone agitatos.

Abreptos ergo, & enthusiasmo melancholico impulsos cōferamus, quidque discriminis sit, magna animi meditatione perpendamus. Adhibet duo signa sapientissimus Medicus Massaria, quæ dæmonici characteris notas vult esse certissimas. Quod nempe vel rusticus, vel idiota, si sit obsessus, Græcè vel Latinè loquatur, ac deinde quod prædicet futura. At hæc in me-

lancholicis multoties, & à Leuino Lemnio, & ab alijs obſeruata fuiſſe non eſt dubitandum. Adfert rationes Riolanus, & exemplum de Philareto Spoletano, qui ex vermibus in nouum maniæ genus inciderat, ita vt in morbo probè Teutonicè loqueretur. Scribit ingenioſus Hiſpanus Ioãnes Huarte, libellulo de ingeniorum ad ſcientias examine, mulierem mechanicam phrenitide cum graui febre correptam; quæ Latinè loquebatur, & multa prædicebat quaſi vates. Prædixit Chirurgo ſibi venam ſecanti intra menſem moriturum, eiúſque vxorem proximo ſequenti matrimonio vicinum fabrum ducturam, quod verè ſucceſsiſſe teſtatur Ioannes Huarte. Hæc autem vi morbi, nullo dæmonum interuentu acta ſunt. *In lib. Ferne. de ab. rer. cau.* *Hiſtoriæ.*

Sed & eadem ferè narrantur à Pſello quæ dæmonum fraude contigiſſe aſſeuerãter pronuntiat. Subterraneum quoddam & aqueum dæmonum genus inprimis adfert, lucifugum, viſcerum penetralibus ſeſe inſinuans, & in quoſcunque homines inciderit eos

occupans, ſuffocans, comitialiq; morbo, & phreneſi exagitans. Ait deinde. *Quod ſi dæmon irruens ex ſubterraneorũ genere ſit, hominem poſſeſſum concutit & diſtorquet, atque per eum loquitur ſpiritu patientis vtens, non ſecus atque proprio quodam inſtrumento.* Increpat deinde Medicos(vt aliquando fecit Origenes cui à nobis Enarr. 4. de Lunatico fuit ſatisfactum,) dum huiuſmodi affectus non à dæmonibus procedere dicunt ſed ab humoribus, articulis, & ſpiritibus malè affectis, verbi gratia, pharmacis & diætis. *Nec vero mirum eſt* (ait) *quod hæc dicant Medici, qui præter illa quæ ſenſu percipiuntur nihil norunt, ſed ſolis corporibus attendunt.* Narrat demum ſimilia ijs quæ in ſuperioribus hiſtorijs viſa ſunt, de muliere quadam à puerperio laborante, quæ cum Armeno quodam mago armenio ſermone loquebatur, *quæ tamen (* ait Pſellus) *ne in conſpectum quidem Armeniorum veniſſet vnquam, quæque præter thalamum & colum ſciret nihil.*

Quam ergo graue ſit ac difficile melancholicos à poſſeſſis diſtinguere,

vnicuiq; notum eſſe debet. Nec enim vllus adhuc, quod ſciam, veras notas & iudicia expreſſit. Cautè ergo agendum in iudicijs. Multa quidem præſtanda ſunt, ſciſcitanda, ſcienda, expectanda, atque vt ferè dicitur prouerbio, *nihil credendo, atque omnia cauendo.* Videlicet ne quid inſidiosè ne quid ſimulatè, ne quid fallaciter, vt ait Cicero. Bona etiam conſilia mora valeſcunt.

Inſpicienda ergo vt & in omnibus morbis, ęgroti natura, mores, humores & ingenium. Quid agat pręter inſuetā morbi naturam, & ſymptomatū morbi conditionem: vt ingentiùs vociferari, agitari, & torqueri vehementiùs, partes ſine manifeſta conuulſione deducere, contorquere, producere. Nulla cum phrenitide delirare, prodigioſa loqui, & inuſitato vti ſermone. Ea tandem agere & pati, quæ in morbis admodum inſolita ſunt. *Quæ poſſunt dari a Medicis ſigna obſeſſorum.*

His ita ergo, quantum in Medico eſt, detectis, explicandum venit, quo genio, malum illud & nefarium ingenium dæmonicum, morborum cauſa *Quomodo dæmon cauſas morborum excitet.*

fiat, naturalibus causis se immisceat, morbos implicet, symptomata tanta feritate incitet. Vt sit ne morbus immanis quidam, an dæmon seuerus iure possit dubitari. Ratio in promptu est, Theologorum videlicet & Medicorum vnanimis assertio, dæmones è parte in partem humores in corpore transferre, permiscere, euoluere, conturbare: nec id solum, imo humores proprijs in conceptaculis adaugere, exurere, & omni infensa alteratione pessundare. Sic bilem atram in melancholia morbo commouet, & ab hyppochõdrijs ad cerebrum defert, cuius fuligines in cerebri cellulas propellit. Eum itidem humorem (cuius turbulentia & nigredine delectatur) admotis causis exurentibus, vel eo detento ne expurgetur, adauget. Ea ergo ratione & artificio Epilepsiam, Paralysim, similésque morbos inuehit dæmon, per succi crassioris delationem videlicet, obstructis cerebri ventriculis, & præpeditis neruorum radicibus. Ita etiam cæcitatis, & surditatis causa fit: noxia excrementa in oculis, aut

auribus coaceruando, aut illûc deferendo. Similíque machinatione naturalium causarum motus sequendo; & obseruando, potest fieri dæmon omnium morborum externa causa.

Mirum cur per Lunæ motus,& quadras, ægritudinũ paroxismos experge faciat & excitet. An quia commodiùs tunc humores per Lunæ motus & influentiam adaucti; agitentur? An ob fallaciam? Nempe vt Luna Dei creatura pulcherrima; cœlorum & astrorum princeps & regina, tanquam sæuissimorum morborum author, & effectrix infamaretur,& esset despicatissima? *Cur per lunæ qu dras agat dæmon.*



DE EPILEPSIA.

ENARRATIO VII.



LVNATICVM in Euangelio fuisse epilepticum, omnium iudicio confirmauimus,de epilepsia ergo eodem ordine edisserendum. Sequitur

etiam epilepsia conuulsionem, tanquam species genus suum. Varia habet nomina morbus hic,& epilepsia in primis comprehẽsionem sonat, quod, vt ait Alexander Tralianus,sensum atque mentem pariter apprehendat. Sacer morbus dicebatur antiquis, & à Circulatoribus impositum nomen, ait Hippocrates,qui se pios esse simulabãt expiamenta afferentes, & à remedijs abstinere iubentes,licet à re pręter naturam,non supra naturam quærẽdam esse causam,certum sit. Potest quidem dici sacer quia magnus, vt os sacrum dicitur, quia magnum & inter ossa corporis grandius.

De nominibus epilepsiæ.

Lib. 1. c. 21.

Libro de morbo sacro.

Morbus etiam caducus à cadendo. Et quoniam si quis morbo prehenderetur in Romanorum comitijs cessarent comitia, comitialis etiam dicitur. Herculeus à vi & fortitudine. Sonticus à sonte etiam Iureperitis appellatur,inCod.tit.de edilitio edicto.Lunaticus cùm Lunæ motum sequatur, aut quia nati silente luna huic malo sint opportuni. Mater etiam puerorum dicitur, quibus nempe ob ingentem ce-

rebri humiditatem familiaris est morbus,& innatus:sed vt bellum non quia bellum sed horridum sit, ita vocatur, sic non quia mater, sed iniusta puerorum nouerca sit morbus hic, matrem ironicè appellatum existimo.

Definitio epilepsiæ.

Iam ergo à definitione, calamitosi morbi ducamus exordium, vt instituta methodo affectus species, pars affecta, & causa declaretur. Placet hæc doctissimi Capiuaccij, quæ cumulatè habet morbi diagnosim. Epilepsia est ablata functio principalis totius cerebri, cum amissione sensus & motus partium neruosarum, & conuulsione totius corporis, dependens à causa morbifica cerebrum secũdùm ventriculos & poros lædente. Elegantior est hæc Fernelij. Epilepsia totius corporis distensio crebra est, seu conuulsio non perpetua,qua homo subitò concidit, sensuum omnium atque mentis functionibus interceptis. Prima definitionum verba dicunt affectus speciem, est enim epilepsia symptoma primi generis, nempe actio animalis læsa, cùm sit sensus & motus amissio:

notandum tamen vt in conuulſione; ſic & in Epilepſia non prorſus motum aboleri ſed deprauari, nec ideo actiones animales in Epilepſia deperire prorſus.

In quibus epilepſia & conuulſio differant.

Differt autem Epilepſia à conuulſione, quia conuulſio perpetua eſt in qualibet ſpecie, ſiue ſit empróſtotonos, ſiue opiſtotonos, aut tetanos: at Epilepſia eſt conuulſio non perpetua, ſed quæ ex temporum accidit interuallis. Notabis & aliam differentiam, in conuulſione enim pars conuulſa conuulſificam habet in ſe cauſam, Epilepſia verò venit à principio, id eſt à cerebro, nec eſt in ipſis contractis membris: ita vt τὸ σπασμοειδής, ſit Epilepſia non σπασμός. id eſt, conuulſiuus motus non conuulſio. Indéque apud Galen. Epilepſia citò fit, & citò deſinit.

Libr. 3. de loc.aff.c.5.

Quem ſequatur morbum epilepſia.

Poſtrema Capiuaccij verba denotant quem morbum ſequatur conuulſificum ſymptoma: Galeni enim ſententia eſt fieri aut ſequi obſtructionem ventriculorum cerebri, non quidem omnimodam, ſic enim eſſet Apo-

plexia, ſed in parte: & ita morbum in via ſeu cauitate ſequiturEpilepſia,non in numero addito, vt quidam malè ſentiunt.

Inde etiam colligitur pars affecta in Epilepſia, nempe cerebrum ipſum, quod afficitur non vt pars ſimilaris, ſed organica: non enim in Epilepſia cerebri ſubſtantia obſidetur,ſed ipſius cerebri ductus ſeu ventriculi, non anteriores ſed poſteriores: manifeſtam autem dum habent cauitatem & aptam vaſorum omnium conformationem ventriculi, ſunt partes organicæ. Inuulgata eſt autem ſententia 6. epid. Hippocratis, in qua communicatio & κοινωνία ventriculorum & ſubſtātiæ cerebri demonſtratur: his enim in partibus facilis eſt morborum methaſtaſis & humorū epigeneſis, ait autem. *Melancholici magna ex parte morbo comitiali affici conſueuerunt, & contrà morbo comitiali laborantes efficiuntur melancholici. Horum verò vtrumlibet magis euenit prout vel in hanc, vel in illam partem, infirmitas repit: ſi enim in corpus epileptici, ſi verò in mentem melancholici efficiuntur.* *Pars affecta.*

Poſtrema verba ſi in corpus ἐς τὸ σῶμα, ventriculos cerebri ſignificant. In mentem ἐπὶ τὴν διάνοιαν, cerebri ſubſtantiam non animam ipſam deſignant. Cauſam etenim epilepſiæ in mentem migrare, nefas Philoſopho Chriſtiano affirmare.

Anima etenim noſtra eſt ἀναλλοίωτος, ἄφθαρτος, καὶ ἀκήρατος, quæ ad functiones animales & motrices ritè promouendas, ſola vtitur cerebri craſi, & eius bene conformata ſubſtantia, tum & aptè compoſitis cerebri ventriculis, in quibus ſcilicet ad eas functiones fabricantur ſpiritus animales. Ideoque & ſubſtantia & ventriculorum cerebri ductus, animæ noſtræ inſtrumenta ſunt. Quod ita in diuini Hippoc. ænigmate videbis, ac ſi in putei profundum demerſam veritatem introſpiceres, ſic enim ait, *Talium omnium natura meatuum per quos anima meat, cauſa eſt. Per qualia enim vaſa ſecedit, & ad qualia allabitur, & qualibus immiſcetur, talia ſapiũt.*

In fin. lib. de diæta.

Tres ſpecies epilepſiæ.

Cum autem cerebrum in epilepſia non vbique primario peccet, ſed ſubditarum etiam partium vitio & ſym-

pathia, fecit Galenus à parte affecta tres epilepsiæ differentias. Prima est à capite idiopathicè læso, cùm mali causa intus est in cerebro, & intus lædit. Aliæ veniunt per sympathiam, vel ab ore ventriculi elato ad cerebrum vapore, vel à partibus remotis, pede, aut manu sublata aura. Sed horum exempla Galen. habet. *Citato de loc. aff.*

In disputatione causarum epilepsiæ, *Causa.* vbique certant practici. Vetus Galeni & Græcorum medicorum doctrina est, hunc morbum esse materialem ex catarrhoicon genere, nec à simplici fieri intemperie, vt à siccitate. Hoc ex celeri illius generatione & solutione demonstrabat Galenus: non enim cerebrum aut eius membranæ ad tantam siccitatem peruenire queunt, vt corij in modum obrigentes, conuulsionem efficiant. Fit ergo dum præproperè & confertim humores crassi irruunt in cerebri ductus, & eorum propagines. Hinc ferè concludens Galen. ait. *Ad rectè curandam epilepsiam satis est nouisse laborantem locum cerebrum esse, humorem autem crassum & len-*

tum in eius ventriculis fuisse coaceruatum.

Vindicatur Valesius à Pereda.

Valesius tanti fecit hanc causam à Galeno relatam, vt inde miretur quomodo fieri possit Epilepsia per cõsensum. Irridet Valesium Pereda. *Non animaduertit* (inquit) *solam eam epilepsiam, quæ est propria cerebri paßio, à dictis humoribus fieri: eam verò quæ per consensum, fieri à crasso vapore, aut alteratione ad cerebrum ascendente, ipsúmque irritante ad eius expulsionem.* Sed non mehercule ineptè admiratur Valesius. Credibile enim non est solos vapores, vt vult Pereda, aut solas qualitates venenatas vt Fernelius, ità obstruere cerebri patentes ductus & ventriculos, vt cõuulsiones efficiant. Dicerem ego, quod & antea breuiter notatum est, has cõuulsiones per consensum & sympathicas à vapore aut maligna qualitate fieri, mediante humore crasso in cerebro aut eius ventriculis reperto, quem vapor sublatus in cerebro commouet, & in ventriculos impellit. Ita primaria Epilepsia, quæ à cerebro est, immediatam habet in cerebro causam, quæ aliâs in ventriculos non relicto priore

foco propagatur per epigenesim, aliâs simpliciter relicto cerebro, in ductus transfertur per methatesim. Quæ si fit à vapore simplici, non est vera cõuulsio epileptica, sed quidam conuulsiuus motus, quem potius vel palpitationem, vel tremorem, aut vertiginem appellarem, vbi leuibus quibusdam contractionibus extundit cerebrum, expellit & cor cùm vapores tùm cuiuslibet generis anathimiases è subditis partibus exhalantes, quæ ferè est Pelopis sententia à Galeno explicata. 3.de loc.aff.

An detur causa venenata epilepsiæ

Sed quid de venenata causa Epilepsiæ, quam ex Fernelio venditant? Venenatos, contagiosos prauáque qualitate affectos in corpore latitare humores, nemo dubitat, & ab ijs Epilepsias aliquando grauissimas concitari: nunquam tamen à simplici quodam veneno, & solitaria qualitate. Rei huius veritas curatione morbi comprobatur, quæ fit vbique aperientibus, incidentibus, & obstructiones in cerebro reserantibus: exsiccantibus itidem humores & attenuante victus ratione. Si remedium notum est, ergo & causa.

---*Ignoti nulla eſt curatio morbi.*

Remedijs à proprietate occulta & amuletis qui fidunt, in Mulis experimenta faciant quos Veterinarij morbo epileptico vexari referunt.

Signa.

Morbum hunc grauiſſimum ſympathicum eſſe dignoſces, nauſea, vomitu, cardialgia, aliiſque ſignis quibus detegimus partes inferioris vẽtris malè habere. Prædicat idiopathicum in cerebro Hippoc. hac coaca. *Quibus cephalalgiæ & echus varietas ſine febre, vnaque vertigo tenebricoſa incidit, & tarditas vocis, & manuum ſtupor, hos vel epilepticos, vel apoplecticos, vel etiam letargicos fore expecta.* Præſentẽ autem epilepſiam hac ſua definitione eleganter demonſtrat Fernelius. *Epilepſia totius corporis diſtentio crebra eſt, ſeu conuulſio non perpetua, qua homo ſubitò cõcidit, ſenſuum omnium atque mentis functionibus interceptis, vt nec audiat, nec videat, nec expeditus præteritorum meminerit. Concuſſione ex ore ſpuma monentur, & ſolutis muſculis, interdum vel vrina, vel ſtercus, vel genitura exit, & obſcura vox eliditur.*

Præſagia.

Hæ ſunt veræ & conſummatæ epilepſiæ

lepsiæ notæ, quæque tandem ad apoplexiam properat, eo quod obstructio in epilepsia incœpta, addito crasso humore, facilè perfici potest vt fiat apoplexia. Paralysim item aliquando succedere epilepsiæ, enarratione de Paralyticis antea dicebamus. Dælius Apollo sic vaticinatur. *Comitiales morbi aut conuulsiones epilepticæ, quibus ante pubertatem eueniunt, curationem recipiunt: at quibus ea eueniunt vigesimo quinto ætatis anno, τὰ πολλὰ ξυναποθνήσκει maximam partem commoriuntur.* Aph. 7. 5. Est enim familiaris morbus hic in pueritia, quæ calida est humidissimáque ætas, vnde morbum puerorum, ἡ τῶν παιδίων νόσος vocat Hippoc. Et τὸ ἐπιδεικτικὸν epilepsiæ est puerilis ætas, cuius τὸ ἀπαλλακτικὸν est pubertas: vbi finem capere debet per explendescentiam caloris natiui, antea in humiditatis barathro sepulti. Sic in mulieribus epilepsiæ finem adfert ἡ τῶν καταμηνίων ῥῆξις menstruorum purgatio. Sic Thasia mulier liberali exitu menstruorum, graui periculo conuulsionum defuncta est.

Tota igitur ſpes curationis morbi, in humiditatis exhauſtu poſita eſt. Et præter ætatis mutationem, alia adfert Hippocrates quæ morbi typici & periodici cataſtrophen promouẽt. Ἀπαλλαγὴν, *& finem (ait) epilepſiæ iuuenibus adfert, ætatis, loci, & victus mutatio.* Si nempe ea omnia conſpirent ad calidiorem & ſicciorem temperamenti mutationem. Notant Arabes Medici Septentrionales rarò fieri epilepticos, quòd illis inſit vis caloris maxima, & ſiccitas à loco, contra quàm ſit in au-

Com. aph. 45. 2. ſtralibus. Magna ex parte, ait Galen. victus deprauatus hunc morbum generat. Eſt ne verum, non curatos poſt vigeſimum quintum annum fore incurabiles? Moriũtur, ait Hippocrates, ferè poſt 25. annum, Græcè eſt τὰ πολλά. Vbi Holerius. *Quantò longiùs à 25. anno inuaſerit, tantò contumacior erit, & ſolutu difficilior, non tamen inſanabilis: & ob id addit Hippoc.* τὰ πολλά, *quia in declinatione ætatis ſoluitur.*

Curatio. Multi à Paulo deterriti curationem huius morbi non aggrediuntur, & ego eſſem cũ Paulo, ſi de epilepticis à dæ-

mone nobis esset ineũda curatio. Hoc enim dæmoniorum genus, non cum remedijs Medicis, sed oratione & ieiunio fugatur. At in Epilepsia quæ naturalibus est concitata causis, non alienum ab arte & Medici prudentia duco, optima victus ratione, remedijs, mutatione loci, non epilepsiam solum, sed & alios desperatos morbos indesinenter lacessere. Habent hoc ex diania præceptoris, Practici, extremis morbis extrema vt aptent remedia, cùm præstet anceps experiri remedium quàm nullum. Deploratos tamen, & à natura destitutos tangere vetat Galenus, quid enim posset Medicus naturæ adiutor, non agente & operante natura? *Medicinam esse* (ait Asclepiadæ familiæ princeps) *morbos ab ægris in totum tollere, & morborum vehementes impetus obtundere, & eorum qui à morbis victi sunt curationem non aggredi, quum id in confesso sit, quod medicina tales sanare non possit.* Prædiues ergo vbi natura est & valida, non dubitet Medicus, nec pauescat in arena cum morbo.

1. aph. 6.

Com. aph. 29. 2.

Lib. de arte

Obuius Aeneas clypeóque insurgit & hasta.

Tres diuersæ species Epilepsiæ, ob diuersam partium & causarum conditionem, diuersa remedia etiam postulant. In eo tamen conueniunt omnes, quod, vt ait Galenus, victus rationem attenuantem postulent. *Talis enim diata* (ait) *epilepsias recentes sanat, antiquas non mediocriter iuuat.* Hóc autem pro causæ ratione suscipi debet, cum discrimine: qua in parte multos errare video, cùm vbique qualibet in causa & ætate, victum attenuantem & exsiccantem præscribunt. Nam, vt doctè notat Abaltomarius, victus quidem ratio calida & sicca conuenit, si pituitosa sit materia, & humida causa Epilepsiæ: Si vero à melancholia, inclinet ad calidum, sed in passiuis temperetur. Nec ideo si quis naturâ melancholicus, & extra quadragesimum annum hoc symptomate corripitur, statim venit extenuandus, aut improbè siccandus.

Lib. 1. artis Medicæ ca. 18.

Cæterùm huic grauissimo morbo varia occurrit remediorum sylua, in

euacuantium, reuellentium, deriuantium, & roborantium genere. Causæ enim ratione quæ ab humore dependet eoque crasso, præparantia conueniunt, incidentia, videlicet & attenuantia, deinde expurgantia. Et quia cerebrum & partes neruosæ in vitio sunt, roborandæ illæ, & ab ijs reuellendi humores. Apertiùs sic. Medico curanti epilepticum, quatuor ordine præstanda sunt. Incipiendum ab euacuatione generali totius corporis, & à venæ sectione, vt corpus exinanitum remedijs morbo contrarijs, & causæ fœliciùs & faciliùs cedat. Hæc est Galeni doctrina in arte parua: & expressiùs de hoc morbo in 3. de loc. affectis. Præstanda secundò reuulsio cuiuslibet generis 1. ad distantes partes 2. ad oppositas 3. ad originem: de prima, præcipit Galen. vt sanguis mittatur, in epilepticis è saphena pedis. Secundam ages pyroticis in collo, vel brachio, vel infra genu, admotis diúque seruatis, habita ratione partis vnde morbus suscitatur. Tertiam reuulsionem, quã vocant ad originem, habes in 5. me-

Quatuor scopi curandi hunc morbum.

Cap. 75. *De multiplici reuulsione.* Lib. de venæsectione.

thod. apud Galen. vbi catarrhoicis & à cerebro decumbentibus humoribus occurrit, admota ad ſuperiorem capitis partem Thapſia. Nobis ſunt in vſu cauſtica bregmati appoſita, quamquam in macilentis admodum infenſa non ſemel viderim, inciderunt etenim in conuulſionem maxillæ inferioris, & muſculorum laryngis: nec ideo placent, multis pyrotica ijs partibus inuſta, Adhibeantur ergo poſteriori capitis parti & ad occiput, vbi eſt craſſior capitis pars.

Tertiò iteretur, frequenſque ſit purgatio capitis in hoc ſeuero morbo, pillulis, oppiatis: aut ſi cupis vt cauſa morbi à capite deriuetur, extenuetur amplius materia decoctis ſudorificis, balneis naturalibus, & lotionibus capitis, præſcribantur errhina quæ per nares, apophlegmatiſmi qui per os cauſam morbi deducunt. Corroboretur poſtremò cerebrum, fumis, vaporibus, & odoribus exteriùs, & interiùs, dicatis ad id remedijs de quibus copioſæ ſunt praxes vulgares. Sit hîc & vbique præceptum ne fiant

particularia remedia, poſtpoſitis aut non præmiſſis vniuerſalibus, ne præpoſtero ordine indita remedia, corpus perturbent, nec deturbent morbum.

DE DIFFERENTIA Epilepſiæ ab ecſtaſi diuina, & ea quæ eſt à dæmone, à furore, ſtupore, &c.

ENARRATIO. VIII.



IFFICILE viſum eſt multis Epilepticos ab ecſtaticis ſecernere, pios enim & religioſos homines à Deo abreptos, vel etiam nefarios à dæmone, facilè diceres Epilepticos; tanta eſt tamque ſimilis vtrorumque ratio, quæ ſic breuiter eſt intelligenda. Ecſtaſis diuina ſacra eſt mentis abreptio, qua Deus optimus maximus ſe per condeſcenſum humanæ creaturæ exhibet, nullo mediante morbo, aut aliqua cauſa præter naturam morbifica. Doctrina enim Theologorum eſt, Deum menti ſeſe noſtræ per raptum *De ecſtaſi diuina.*

insinuare, & ea quæ vult tunc nos videre diuina repreſentatione oſtendere.

Ergo reuera Deus eſt qui hominem ad ſe per ecſtaſim rapit, non vlla naturalis cauſa, aut ſola mens ſponte ſua ſuſcitata. Sicut enim Sol ſine Sole non cernitur, ſicut oculus ſine lumine lumen non videt, ita nec Deus ſine Deo cognoſci poteſt. Has autem Dei viſiones & ecſtaſes, Theologi vocant per condeſcenſum. Eſt autem condeſcenſus ex Chriſoſtomo, cùm Deus non vt eſt ſe oſtendit, ſed quoad videre is poteſt qui aſpectum huiuſmodi meruit, quatenus firmitati videntis ſuam repreſentationem metitur ac temperat, ſic condeſcendere illum tantiſper dicimus, & eiuſmodi rem condeſcenſum nominamus & indulgentiam. Nemo enim poteſt deum videre in hac vita viuens ſicuti eſt, ait
Epiſt. 112. D. Auguſtinus. Sed vt ait D. Ioan. *cùm*
Ioan. 1. *apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt.* Quamobrem ſi Prophetam audis dicentem, ait Chriſoſtomus, vidi Dominum, noli quaſi eius

ſubſtantiam viderit ſuſpirari. Talis ergo fuit viſio Eſaiæ, Danielis, Micheæ, Amos, & cæterorum Prophetarum, ſanctiſſimorúmque patrum, & religioſorum: quos ſi videre contigit in ecſtaſim abreptos, ſæpius diceres attonitos aut epileptico quodam inſultu cõuulſos. Apertis enim & intentis in cœlum oculis, ſubpallida facie, tenſo & erecto corpore aut genibus deuoluto manent immobiles, donec viſionum cœleſtium lumine expleti, & ſanctarum cogitationum epulis ſaturati ad ſe redierint. Hos autem ab epilepticis facilè diſtinguemus, cùm ecſtaticos & à dæmone abreptos, epilepticos etiam non eſſe demonſtrabimus.

Verum quidem eſt, & Chriſtianis Medicis etiam in confeſſo cum Theologis, vt ante notatum eſt, dæmones raptus & ecſtaſes in homine concitare, ligando vel ſoluendo ſenſus exteriores, idque vel obſtruendo meatus cerebri ne ſpiritus egrediantur, vt fit naturaliter per ſomnum, vel reuocando ſpiritus ſenſitiuos ab externis ſenſibus ad organa interna, quos ibi reti-

De ecſtaſi à dæmone.

net. Ita Sagas mulieres ecſtaticas reddit dæmon, ita & Magos, qui cùm vno in loco maneant ſoporati, varijs tamen in locis ſe fuiſſe, & diuerſa peregiſſe ſæpe decepti arbitrantur.

In theatro nat. hum. Horum ecſtaſes non fuiſſe inſultus ab Epilepſia, patet ex eo quod à Bodino relatum eſt. Abreptos nempe à dæmone, nec verbera, nec laniatus, nec membrorum diſtractiones, nec faces ardentes, nec ferri candentis vſtiones ſentire: imò nec pulſus arteriarum, aut cordis motus in illis deprehenditur, poſtea tamen in corpora redeũtes, dolores acceptorum vulnerum grauiſſimos perſentiſcunt, & ea narrant quæ ſexcentis procul miliaribus geſta ſunt. Hæc Bodinus. Quæ in ecſtaſi à dæmone vera quidem ſunt, at animam in ecſtaſi à corpore ſeparari, vt narrat ille, falſum prorſus. Si enim hominis anima à corpore per ecſtaſim ſeiungeretur, eſſet vera mors non raptus, aut metamorphoſis quæ mutationes corporum promittit. In raptu etiam anima per aëra volitaret idearum Platonis more, & iterum in

corpus rediret, vt in fictitia metempsicosi. At vt doctè concludit Tertulianus *nusquam est anima sine carne quandiu in carne est.*

Sed vt ad rem se vertat oratio. Superiorum Ecstaticorum accidētia valde ab Epilepticis differre certum est. Ecstasis quidem & sensus & motus abolitio est, motus ergo aboletur, non deprauatur vt in conuulsione epileptica. Ecstatici enim planè immoti manent, Epileptici violentissimè iactantur, & vt ait Bodinus, Ecstatici à dæmone fœdissimum exhalant spiritum, Epileptici spumant ore, & ijs genitura & excrementa graui musculorum agitatione descendunt. Deinde mala infinita, quæ patrant dæmonici in raptu, testantur eos conuulsione non fuisse agitatos, sed dæmonum placitis nimiùm dedisse animum mentémque. Ita breuiter de vtraque ecstasi meditamur.

De differētia inter ecstasim & furorem.

Nec multum de differentia furoris, syncopes, & stuporis narcoticorum medicamentorum ab ecstasi differendum, res enim perspicua est,

Nam vt doctè argumentatur Bodinus, furiosus vbique agitatur nec desinit, sed continuo motu furit:& abreptus in ecstasim manet immobilis, omnium partium sensu & motu destitutus. Apoplecticum diceres potiùs ecstaticum, & si adesset stertor cum manifesta prophasi & aperta causa, de morbo non esset dubitandum.

De differẽtia à syncope. Sic & syncope, quæ est omnium virium præceps lapsus, momentanea quidem,& quæ citissimè historiam aut salutis aut mortis complet, non est ecstasis, quæ diu sine virium dispendio durat & detinet. Non enim ecstasim cum virium dissolutione & frigido sudore, mors sequitur, vt ferè semper syncopem. Nec quadrat ecstasi Hippocratis oraculum. *Qui frequenter ac fortiter absque causa manifesta animo deficiunt, de repentè moriuntur.* Nec illud. *Qui suffocantur & à vita deficiunt, nondum tamen mortui sunt, non referuntur in vitam si spuma circa os apparet.* Prima enim sententia lypothimia aut syncope correptis, altera vero epilepticis conuenit.

Aph. 41. 2.

Aph. 43. 2.

Stupor etiam à narcoticis & soporiferis medicamentis inductus, ecstasis non est. Sensum enim vtcumque stupor aufert non motum: alioquin abolito motu à narcoticis vnà cum sensu, mors esset in propinquo. At in sopore ab opio, aut meconio, aut mandragora, quosdam fuisse castratos audio. Non exhibentur autem magna dosi narcotica, sine præsenti vitæ periculo. *De differētia à stupore.*

Aethiopésque lacus, quos si quis faucibus hausit,
Aut furit, aut patitur mirum grauitate soporem.

DE MELANCHOLIA morbo.

ENARRATIO IX.



NARRATI sunt & explicati morbi catarrhoici cerebri ventriculos obsidentes. Hi functiones animæ motrices lædebant, sequuntur ij, quorum sedes est cerebri substantia, paraphorici

& vigiles dicti, qui principibus functionibus imaginationi, & rationi incommodant, sunt autem in scriptis noui testamenti melancholici, maniaci, & licanthropici, quorum affectiones sumus explicaturi. Dicebamus etenim eos à dæmone quidem diuexari, mediante tamen morbo à naturalibus causis excitato. De his ergo proposita methodo edisserendum.

De nomine melancholiæ. Melancholiæ nomen æquiuocum est: significat inprimis habitum naturalem, de quo in prima parte dicebamus Galenum statuisse huius habitus homines, sagaces, & prudentes. Quod enim in mente cōstans & firmum est, id à melancholico humore proficiscitur. Et ἀληθείας φιλόσοφος immensæque subtilitatis vir Aristoteles. Sic ait. *Homines qui ingenio claruerunt vel in studijs Philosophiæ, vel in republica administranda, vel in carmine pangendo, vel in artibus exercendis, melancholicos omnes fuisse videmus.* Et ita Cicero gloriosè de se ipso. *Aristoteles omnes ingeniosos melancholicos esse ait, vt ego me tardiorem esse non molestè feram.*

Section. 30. prob. 1.

1. Tusc. qu.

Significat ſecundò Melancholia humorem atrabılarium & exuſtum qui præter naturam eſt, & morbum concitat, ſic qui vitijs atræ bilis infeſtantur, melancholia affici reputantur: vt de Hercule idem ait Ariſt. de Aiace, & Bellerophonte. Significat etiam Melancholia ſuccum in venis frigidum & ſiccum, quem Galen. vocat atrum ſanguinem, qui, quoniam concreſcit, à bile atra quæ non concreſcit diſtinguitur. Sed his poſthabitis, nobis Melancholia morbum denotat, qui à cauſa nomen habet, vt ait Galen. & dicitur Melancholia morbus. Quo qui detinentur aberrant mente, & vt ait Fernelius, ea laborantes vel cogitant, vel loquuntur, vel efficiunt abſurda, longéque à ratione & conſilio abhorrentia, eaque omnia cum metu, & meſtitia, quæ ſunt duo indubitata melancholici morbi ſigna, vt mox dicemus. Significat ergo Melancholiæ nomen, & humores & morbum ipſum, quem ſic definire ſolent artis proceres.

Lib. de atra bile.

2. Meth.

Definitur melancholia.

Melancholia eſt delirium febris ex-

Lib.3.c.14. pers cum triſtitia & metu ſine cauſa manifeſta, explicatior eſt hæc definitio Pauli. Melancholia eſt mētis quædam alienatio ſeu delirium ſine febre ex melancholico humore naſcens qui mentem occupauerit, aliàs cerebro ipſo per ſe ægrotante, aliàs totius corporis conſenſu immutato. Hanc nos tundamus & incudi demus.

Eſt ergo Melancholiæ genus delirium, in eo enim melancholia, mania & licanthropia conueniunt cum phrenitide, ſed inter ſe differunt. Melancholia enim ſine febre eſt, vt & licanthropia, at phrenitis & mania ſunt cũ febre, eſt enim phrenitis inflammatio cerebri, quæ non poteſt eſſe ſine febre. Deinde melancholia & licanthropia ſunt cum metu & mœſtitia, quæ in phrenitide & mania non ſunt.

Quis affectus ſit melancholia. Sed quis affectus eſt Melancholia? Eſt ſymptoma primi generis nempe actio læſa: læduntur enim in ea functiones principes imaginatio nempe & intellectus, qui Græcis ἡγεμονικὸν dicitur in quo regnum eſt animi. Differt tamen Melancholia à fatuitate & amentia

amentia quoniam in Melancholia prædictæ functiones principes deprauantur, in fatuitate autem & amentia prorsus corruunt.

Melancholiæ autem diuersæ sunt species, & vt dicitur, *stultorum infinitus est numerus*, quia deprauatæ imaginationis magna est varietas, quæ etenim imaginationi obuersantur rerum species, infinitæ sunt: oportet autem ex Arist. decreto, intelligentem vbique speculari phantasmata, quæ cùm in melancholia & falsa & varia obijciantur menti, mirum non est si tã diuersæ ac multiplicis imaginationis reperiantur melancholici. Fingebat alius se audire Tibicines, alius se fragilem testam reputans, timebat ne frangeretur. Alius (quem nos bene sanum sapientémque postea vidimus) dicebat se pullum adhuc in ouo conceptum, móxque proditurum, sicque summis pulsabat digitis, vt fracta oui testa tanquam pullus exiret.

Dependet autem melancholicum symptoma à frigida & sicca cerebri intemperie nigro stipata humore, & *Quem morbũ sequatur hoc symptoma.*

ſpiritu ſilueſtri comitata, vt loquitur Arculanus.

Verba Pauli, *qui mentem occupauerit*, partem affectam deſignant: eſt enim melancholia affectus ſimilaris ſubſtantiæ cerebri, vt epilepſia & apoplexia morbi ſunt organici ventriculorum & ductuum ipſiuſmet cerebri. Fiunt enim & generantur hi affectus, *prout in hanc vel illam partem repit infirmitas*, vt dicebat Hippoc. quod à nobis de Epilepſia explicatum eſt.

Poſtrema Pauli verba, ex partibus affectis in melancholia, tres illius ſpecies denotant, quas & à Galeno habemus explicatas. Primariam ſcilicet, hypochondriacam, & à toto. In primaria idiopathicè & immediatè cerebrum ipſo humore nigro imbibitur. Hypochondriaca ab hypochondrijs, ventriculo, iecore, liene, meſenterio, ſuſcitatur. Et illa quæ eſt à toto, cæterarum ſæpe comes & fomes, cauſam habet in venoſo genere vbi ſanguis melancholicus ſæpiuſculè ſtabulatur.

Cauſa ergo huius ſymptomatis à morbo petitur, intemperie videlicet

frigida & ſicca cerebri, quæ ſynatriſmum facit & congeriem humoris melancholici in partibus vbi generatur. Atque humor hic in cerebro ſpiritus inficit nigróque colore ſylueſtres facit, qui authores ſunt & fautores ægritudinis animi, nẽpe mœroris & mœſtitiæ, quibus anxiè premitur & perturbatur melancholicorum anima. Ita tria hæc, intemperies frigida ſicca, humor melancholicus, ſpiritus tenebroſi & ſylueſtres, ſe mutuò in hoc affectu conſequuntur. Non eſt autem humor ab exuſto, nec ab atra bile, quæ in furores & manias traducit: ſed eſt ſanguinis fæx, feréque amurca, ab hepate in lienem, & ab ijs in cerebrum elata, vbi mentem miris figmentis eludit & exercet.

Vnde generetur melancholia.

Cumulatur autem humor dictis in partibus, cerebro, hypochondrijs & toto à victus ratione, vitæ conditione, loco, & tempore, vt autumno, in quo potiſſimum humor ille dominatur: frigidus enim ſiccúſque autumnus, imò inæqualis in calido & frigido, quorſum ab eo ſimilis humor genera-

Aph.4.3. tur. Sic ait Hippocrates. *In temporibus quando eadem die, modò calor, modò frigus fit autumnales morbos expectare oportet.* Cùm videlicet ab ea inæqualitate partium anni, morosiores fiunt humores & melancholici, corporisque robur euanescit & debilitatur.

Cùm modò frigoribus premimur, modò soluimur æstu.
Tempore non certo, corpora languor habet.

A vitæ etiam genere, cibisque, humores melancholicos generari Galenus locupletissimus testis est, libris de locis affectis, passímque. Non omitto supernaturales causas & à Dæmone, quales in relatis ægrotis Euangelij vidimus. Melancholico humore Sybillas & Bacchides agitari notat Massaria. Singulæ verò prædictæ species melancholiæ morbi se produnt signis, potiùs ab animo quàm corpore petitis, cùm insidiosa sit animo melancholia, illique frequenter diem dicat, repetit enim per tempora & Lunæ quadras, manifestóque si non intermittit, remittit. Duo sunt indubitata à prin-

Signa melancholia in vniuersum.

cipe medicorum scripta, φόβος καὶ δυσθυμίη metus & mœstitia. In coacis verò sic. Αἱ μετὰ σιγῆς ἀθυμίαι καὶ ἀπανθρωπίαι ἐπιεικῶς αὐτῶν κατεργαστικαὶ μελαγχολίαν σημαίνουσι. Vertit interpres. *Abiectio animi taciturna & solitudo quæsita ipsæ sui per se authores & medica melancholiam ostendunt.*

Quæritur vnde metus & mœstitia in melancholicis? Referunt alij in nigrorem humoris melancholici, alij in spiritus nigrore infectos, qui tanquam tenebræ mentem perterrefaciunt. Alij vt Auerroës, in humoris melancholici proprietatẽ: vt enim sanguis lætitiam inducit, ita melancholia terrorem. Verę quidem sunt hæ rationes, sed è longinquo petitæ. Delirat ergo anima, timet, horrescit, quia mutatum est temperamentũ corporis, & humores præter naturã constituti. Humores exusti & biliosi maniam & phrenitidem cõcitant, quia calidissimi, quorũ est motus nostros accelerare: frigidi verò & sicci incutiunt timorem & metum, quia segnes, hebetes, tardi, & lenti in agendo. Nec ideo verum est Galeno

Heracliteæ ſcholæ pronuntiatũ. *Splendor ſiccus animus ſapientiſſimus* Ita enim & ſtellæ ſiccæ natura & ſenes etiam natura ſicci ſapientes omnes, at tunc ætatis maximè delirant. Dicendum ergo probam temperiem in calido frig. humido & ſicco conferre ad ſapientiam: & nunquam animam noſtram aberrare, aut timore concuti, niſi ſpecies perturbatę, confuſę, obſcurę, & tenebroſæ obijciantur illi. Quæ omnia humorum & corporis intemperamento debentur.

Iam vbi ſit ſedes inſani humoris ſuis etiam ex ſignis conie&andum. Temperamenti & humoris in corpore dominantis ratio habenda eſt. Sed de ſingulis ſpeciebus audiamus Galenum iudicem maximum, ita decernentem. *In primis* (ait) *vniuerſi corporis habitum qualis ſit conſideres velim, memineríſque quod molles & candidi, & obeſi nunquam humorem habent melancholicum. Macri vero & nigri, & hirſuti, & quibus latæ ſunt venæ, aptiſſimi ſunt vt huiuſmodi humor cumuletur in ipſis: ſitque interdum vt rufo colore homines, aſſa-*

3. de loc. af-ſe&.

tim in melancholicam temperiem incidant. Atque post hos flaui, idque maximè quando & multis vigilijs, & laboribus, & solitudine, & tenui victu fuerint educati. Et cætera quæ ex Diocle notauit Galen. de melancholia in toto corporis habitu, & venoso genere. De hyppocondriaca vero sic ait. *Sumpto cibo & maximè coctu difficili, sputum humidum fit, ructus deinde acidus, flatus, æstus, fluctuationes, dolores ventriculi, quæ in nonnullis ad dorsum vsque extenduntur, concoctis deinde cibis quiescunt.* Hæc Galen. ex Diocle. Ex quibus si consideres has melancholiæ species, facile idiopathicam, & eam quæ fit à cerebro & in cerebro iudicabis, in qua hoc calamitosum prorsus, quod nulla intercapedine vbique & semper insanit homo: sed iam de prognosi.

Oraculum est diuini Hippocratis. Aph. 53. 6. *Desipientiæ quæ cum risu fiunt securiores, quæ vero cum studio periculosiores.* Vbi doctè Galen. ait. *Nulla quidem desipientia secura est, minus vero periculosæ sunt quæ cum risu fiunt, sicuti temerariæ omnium periculosissimæ. In medio autem am-*

moueat &cachinnos. Et Valesius cum Fracastorio, præter hilaritatem addit, admirationem ad risus causam mouentem. Quærit etiam, cur fatui plus rident hominibus intelligentia prædi-tis, & pueri plus viris? An non quia hi leuioribus de causis plus mirantur.

His autem gradibus incedit & ascendit melancholia desipientia, antecedit metus & mœstitia sine causa manifesta, sequitur melancholia, quæ tandem in maniam contendit: Maniaci autem Conuulsione, aut Epilepsia, & tandem Apoplexia vitam cum morte mutant. Morbus à melancholia insidiosus est, cuius causa neglecta vires acquirit eundo, tandémque melancholia in habitum versa, insanabilis est, vt ait Alexander.

De curatione melancholiæ morbi.

Cùm diuersis in partibus contumax hæreat humor, modò in cerebro modò in hyppocondrijs, aut in toto diuerso sanè artificio fugandus venit. Recreetur inprimis animus qui metu & mętrore languet, qui portentosis cogitationibus oneratur, qui in dira & effera præcipitatur, sint astantes pla-

chimia frigida & ſicca intemperies inuſta cerebro & præcordijs ſuo, contrario eſt alteranda. Qua de re audiamus Galenum experimentatorem rationalem. Monendi ſunt (ait) mihi amici qui me curantem viderunt frequentibus balneis, victúque humido boníque ſucci, nullo alio adhibito præſidio me huiuſmodi morbos curaſſe, vbi nondum ob longum tractum nocuus humor multum vacuationi reſtiteret: cùm enim diuturnus iam factus eſt morbus, fortiora prædictis oportet adhibere remedia. Hæc Galenus. Cuius poſtrema verba non ſunt à mente Hippocratis aliena, ait enim in præfato Aphor. τοὺς δὲ μελαγχολικοὺς ἁδροτέρως τὰς κάτω. Melancholicos vero pleniùs per inferiora. Pleniùs autem dicit pro fortius, vt ait Galen. ἁδροτέρως ἀντὶ τοῦ σφοδρῶς. Tunc igitur præſcribitur mochlicon & vehementer mouens remedium: ad morbos nempe qui humoris morbifici contumacia in vetuſtatem inciderunt.

3. de loc. affect.

Aph. 9. 4.

Commendat & Hippocrates helle-

Com.6.par. 1.6. epid

borismum, quandiu ait Galen. diuturna est passio & veluti τῆ μοχλείας δεό-μενον, vecte indigens ad subleuandum onus, scio quidem μοχλικὸν & vehemens pharmacum paucis probari, quia vehementiora remedia non sunt tuta. Nec minùs aliquando famæ quàm ægrotantium saluti Medico studendum. Quamobrem attento animo audi præceptorem. *Timiditas impotentiam, audacia verò artis ignorantiam significat.*

Hipp. lib. de lege.

DE MANIA.

ENARRATIO X.

Quid Mania. Lib.1.c.22.



CVM mania seu furor ex Traliano, nihil aliud sit quàm intentio melancholiæ ad maiorem feritatem, & melancholiæ succedat mania, nobis furor vel insania dicta: ideo mania & melancholia non nisi κατ' ἦττον, καὶ μᾶλλον differunt. In mania etenim melancholicorũ summa sunt omnia. Maniá affecti, vertit Torinus

ex Alexandro, *quicquid in mentem venit perpetrant, & quicquid in buccam venit effutiunt.* Ea enim, ait Fernelius, iurgijs, clamoribus, horrendo aspectu, maiore denique corporis impetu & mentis perturbatione laborātes exercet, quàm simplex melancholia, quæ nempe solùm metu & mœstitia absque vlla prophasi & manifesta causa, animum torquet & excruciat.

Est enim mania, symptoma principum functionum læsarum, imaginationis videlicet & iudicij, quæ Galeni sententia est. Deprauatur autem non aboletur, aut diminuitur actio in mania, vt & in melancholia, quanquam non ledatur aperté ratio & iudicium in melancholia, vt in mania, & in vtroque affectu seruetur memoria, vt notat Ætius. Ita præterita multa maniaci referunt, repetunt, multa detegunt, & vt

Quis affectus.

2. de simpt. causis.

Lib. *6.*

Arcanum demens detegit ebrietas,

Ita melancholici cantu, voce, & clamoribus nocte diuque se fatigant, temulentorúmque ritu aut somnolentorum, quæ attentiùs audiuerunt

aut quæ occulta fuerunt, inuulgant.

Fertur & incerto titubans insania gressu.

In quibus mania & melancholia differunt. Conueniunt ergo melancholia & mania in ratione affectus, & partis affectæ, quæ ab omnibus cerebri substantia accusatur. Est etiam mania morbus similaris vt melancholia; & vtraque ab intemperie profecta. Sed quæ facit simplicem melancholiam intemperies frigida est & sicca, & mania, referente Galeno, calidam & siccam sequitur intemperiem. Fit enim & generatur mania exustione omnium humorum, si pituitam exceperis, vt concludit Galen. (Com. aph. 56.6.) cùm ad producendam maniam humore irritante & mordente sit opus, quique acutus sit, feruens, & exurens, quæ qualitates non sunt in melancholico succo, vt in atrabile exusta. Tantùm enim inter nigrum humorem seu melancholicum succum & atrambilem interest, quantùm inter simplex ferrum & ferrum candens.

Signa. Testatur humoris incendium febris, quæ sæpissime in mania adest ra-

rò in melancholia vnde Fernel. ait. *Ater hic humor ſimiliter vt in melancholia aliàs in præcordijs, aliàs in toto corpore, aliàs in cerebro congeritur. Calidus verò cùm ſit immania & horrenda deliramenta incitat: quod ſi putreſcat febrem accerſet, ſin dumtaxat vehementiùs incaleſcat, ſine febre maniam ſolitariam.* Sunt ergo, vt cõcludam diagnoſim, in vtraque ſimiles affectus, & partes læſæ, ſed cauſæ admodùm diſſimiles.

Patent ergo maniæ ſigna. Sed cùm è diuerſa diuerſorum humorum exuſtione fiat & generetur, ſigna cauſæ inueſtiganda ſunt. Deliriorum (ait Hollerius) differentiæ ſumuntur, vel à natura corporis, vel à materia in corpore redundante: ſicut enim à vino diuersè afficimur, vt ſcribit Ariſtoteles, in alijs enim riſum & hilaritatem, in alijs furorem vinum concitat. *Cauſa.*

Sæpe manus itidem Bacchus ad arma vocat.

Ita dùm ſanguis exuritur, fiunt maniæ diuerſæ formæ, ludicræ, iocoſæ, cum riſu, cum fletu. In ſucco melancholico exuſto, non eſt ferina melan-

cholia, in bile exusta efferantur maniaci, & in obuios pugnis, dentibus, petulanter inuadunt. Omnium certè pessima, in qua dum sui characterem altiùs impresserit cerebro, rediuiua est sociorum Vlissis transformatio in sues aut sociorum Pici in feras.

Cuius ab attactu variarum monstra ferarum
In iuuenes veniunt, nulli sua mansit imago.

Curatio. Non multùm mania ab ea cura quæ de melancholia fuit, euariat. Gaudet enim peracta purgatione, victu humectante & balneo. Multi ad mochlica & vehementissima remedia cõfugiunt, helleborismum præcipiunt, Trepano caluariam perforant. Audiamus nos ab Hippocrate quomodo se gerat natura in depulsione maniæ melancholicæ, Naturámque doctam à nemine edoctam sequamur in curando, tanquam securum præceptorem. De melancholiæ simplicis curatione duas antè vidimus sancitas leges, totidem veniunt obseruandæ in cura maniæ.

Prima

Prima sic est. *A mania difficultas intestinorum, aut hydrops, aut ecstasis, bonum.* Aph. v. 7.
Si enim valida vis cerebri lucet in expellendo morbo per transpositionem materiæ, & vt loquitur Galen. τῷ λόγῳ τῆς μεταστάσεως transmutationis ratione: vel difficultatem intestinorum seu dysenteriam excitabit, (non illam quidem quæ fit ab acri humore & vlcere cum torminibus) sed à fœculento melancholico humore, eoque putrido, à cerebro in intestina delapso, vt doctè interpretatur Liebantius. Vel natura hydropem concitat, non quidem à frustratione functionis hepaticæ & ἀτονία, vt malè censet Fuchsius. Sed effuso melancholico humore in abdomen è iecore, nondum tamen alienato, proptereaque curabilis est hydrops hic, vt ait Heurnius. In Aph.

Vel tandem natura ab ecstasi quadam, & graui mentis alienatione critica, maniam ipsam mania soluit. Non est autem ecstasis illa diuina aut à dæmone, de quibus antea locuti sumus, sed ea est, quam vocat Hippocrates πολλαχῆ μανίαν καὶ σφοδρὰν, continuum

& præcipitem furorem, qualis solet commoueri, in perturbatione critica febrium continuarum & ardentium.

Quæstio. An verò ecstasim & perturbationem criticam quæ fit in mania, sequatur quædam sensibilis euacuatio humoris qui maniam efficiebat, nullus in-

Solutio. terpretum notauit, vult tamen ratio illam subsequi: non minùs quàm in febribus delirium crisim antecedit, & subsequuntur hæmorrhagiæ, vt in Methone apud Hippocrat. vel sudores vt in Herophonte, vel alui fluxus vt in Clazomenio.

In coacis. Altera lex est. *Quibus à febri metus vacuo, ad furorem egressio est, id febres cum sudoribus, & somni arctiores, nec turbulenti exoluunt.* Id est cùm è melancholia mania fit, & delirium cum excessu, ab humore videlicet non solùm feruido, sed & putrescente excitatum, febres quæ superueniũt cũ sudoribus, maniam, feritate domita, finiunt & absoluunt. Febres autem illæ & si celeriter, continenter, & vehementer mouentur, sunt tamen sine offensione nobilium partium, alioqui crisis esset fu-

nestior morbo. Addit deinde Hippocrates, *Et somni profundi nec turbulenti.* In quibus nempe vt ait in aph. *Somnus dolorem sedat.* Hi enim somni, magnam vim habent ad πεπασμόν, & ad crisim, idque cùm aliàs tum in proposito furore, de quo dictum est. *Vbi somnus delirium sedat, bonum.* Hinc ergo videant Medicinæ studiosi quid ad imitationem naturæ fieri debeat, citra ægri iacturam, viriumque dispendium. *Aph. 2. 2.*

DE LYCANTHROPIA SEV lupina insania, vulgo *loups-garous.*

ENARRATIO XI.



YCANTHROPIA nõ est genus quoddam morbi à mania diuersum, nisi per imaginationis speciem. Qui enim illa prehenduntur se in lupos conuersos imaginantur, vulgóque dicuntur *loups garous.* Qui Lycanthropia detinentur, ait Paulus, noctu domo egressi lupos in omnibus imitantur, & *Lycanthropiæ descriptio.* *Lib. 3. c. 16.*

donec dies illucescat, circa defunctorum monumenta vagantur. Hanc sub melancholia constituit Paulus, quam tamen si penitiùs contemplemur, potiùs sub mania, tanquam speciem sub genere collocabimus: quanquam reuera mania & lycãthropia potiùs sint gradus, quàm species melancholiæ.

Signa. Lycanthropicorum autem pallescit facies, siccantur oculi, visus hebetatur, arescit lingua, vrget sitis, ore spumant, canes rabie affectos diceres.

Vt semper rabiem lupus ore lupinam
Immitis redolet.

Multi, ait Fernel. solitudines quærunt, & interdum mortuorum sepulcra, aut horridas speluncas errantes sectantur, eoque se recondunt, ac sæpe luporum ritu vlulant.

Per noctẽ resonare lupis vlulãtibus vrbes.

Cætera quæ de lupina insania dici possunt, non sunt à melancholia & mania distincta: & quæ in historia lycanthropicorum superiùs dicta sunt his sunt attexenda.

Tran formatione in aliam speciem esse impossibilem. Notandum solùm Anethematis crimen eos subire, qui veram homi-

num in lupos transformationem existimant. Ex can. Episcopi 26.q.5.Figmentis quidem delusa imaginatio in hæc absurda concitatur,sed reuera lycãthropia est animi error, non corporis sed cogitationis melancholicorum metamorphosis.Notat Mercurialis ex Herodoto historiolam deNephris populis,qui semel quot annis fiebant lupi, & postea redibant homines. Anne hi bacchanalia Orgia celebrabant?vt solent. *Historia.*

Qui curios simulant, & bacchanalia viuunt.

Quis nescit huiusmodi piaculum in hunc nostrum orbem irrepsisse?Quis quot annis non videt personatos indutosque lupi pelle quos simulant, & similia multa ridicula repræsentant, idque sub hyemis finem? quod connotatum velim ad id quod ex Massaria notauimus de lycanthropiæ tẽpore.Enarr.5.de lycanthropicis.

Certum sit igitur,realem illam corporum transformationem impossibilem esse, Poëtis quibus audendi est æqua potestas carminibus celebrata

metamorphosis, ficticia est, & ad philosophandum composita, non enim, vt aliquando dicebat Plato, fabulæ sic intelliguntur vt leguntur. Et Poëtarum Apollo Pindarus.

Δεδαιδαλμένοι ψεύδεσι ποικίλοις
Ἐξαπατῶντι μῦθοι.

Diuersæ variegatæ mendacijs decipiunt fabulæ. Potest quidem Dæmon aliud corpus induere, & ex aëre sibi corpora cõfingere, & aëream circumdare speciem belluę & membra membris quoad patitur similitudo coaptare, circumponere: & os ori, ventrem ventri, pędem pedi, brachia brachijs accomodare, vt de Dolanis quibusdam populis narrat Martinus del Rio. At corpus nostrum in aliud prorsus transformare, omnibus omnium dæmonum ordinibus, id est impossibile. Hoc enim non esset actiua passiuis applicare, quod eos agere posse certum est. Sed esset priuati habitus regressio, quam impossibilem probarunt philosophi. Quod enim conuertitur desinit esse, cùm transeat in aliud, propriúmque esse amittat. Sic vxor Lot, Gene-

2. Disquis. magic.

ſeos 19. in ſtatuam ſalis conuerſa, extincta eſt. Vnde D. Auguſtinus, non fuiſſe veras cõuerſiones illas, ait, quas Ethnici poëtæ prædicant à Magis aut Dijs effectas, vt Arcadum in lupos, ſociorum Diomedis in aues, comitum Vlyſſis in diuerſi generis beſtias, Iphigeniæ in Ceruam. Non enim per eas, qui conuerti dicebantur, deſinebant eſſe, ſed Dæmonum præſtigijs humano aſpectui ſubtrahebantur. Sed de his ſatis. 18. de ciuit. dei. c. 18.

DE CÆCITATE.

ENARRATIO XII.



ÆCITAS τυφλότης dicitur. De nomine c. 9. Vnde in contextu D. Mathei, ἠκολούθησαν αὐτῷ δύο τυφλοὶ κράζοντες, ſequuti ſunt eum duo cæci clamantes. In medicorum praxi vel ἀμβλυωπία, vel ἀμαύρωσις dicitur: quæ tamen potiùs viſus imbecillitatem deſignant, quàm omnimodam & confirmatam cæcitatem, quæ eſt incurabilis. De iſta ta-

men ſumus loquuturi ob cęcos in prima parte à nobis enarratos, quos verè cæcos & integra videndi facultate orbatos probauimus.

Definitio. Definiemus ergo cæcitatem, ſymptoma abolitæ functionis ſenſificæ, nempe viſionis in criſtallino humore, à cauſa morbifica excitatum. Cùm

Quis affectus. dicimus eſſe ſymptoma abolitæ functionis in oculo, excludimus omnes diminutas functiones, quales ſunt in myopia, nyctalopia, amblyopia, in quibus ſolummodo viſus obſcuratur. Excludimus & deprauatas, vt in glaucomate, in quo humores oculi colorem mutant.

Quos ſequatur affectus cæcitas. Palam autem eſt omne morbi genus, tale ſymptoma excitare, videlicet & intemperies, grauis obſtructio, ruptio, vulnus, & ſimiles affectus, vt dicemus de cauſis. Cùm autem in ocu-

Pars affecta. lo variæ partes ſint, humores, tunicæ, & muſculi: ſintque humores oculi tres, vitreus, criſtallinus, & aqueus: partem affectam in cæcitate criſtallinum humorem dicimus: ea enim pars eſt præcipua in oculo, quæ viden-

di actionem edit, alię autem oculi partes huic subseruiunt, & opitulantur: quæ dum afficiuntur & visioni incomodant, crystallinum affici per consensum iudicamus.

Causæ. Cùm igitur partium oculi, aliæ visionem perficiant, aliæ conseruent & meliorem reddant, in his omnibus læsæ visionis causas reperiri, certo certius. Quæ visionem in cristallino perficiunt, quatuor sunt præcipuæ, cerebrum, spiritus qui è cerebro, neruus opticus per quem spiritus influit, & crystallinus humor visionis author, eiusq; instrumētum præcipuum. Cùm autem horum vitia immediatè visionem lædant, in his positæ sunt internæ causæ: in membranis autem & humoribus sunt externæ & mediatæ. Dicamus primò de internis.

Internæ causæ. In cerebro. In cerebro primùm fiunt intemperies graues, à quibus præpeditur videndi facultas. Vt contingit in phrenitide, cùm cerebrum ardet & æstuat, & ab inflammatione dissipantur spiritus, quibus facultas pro vehiculo vtitur. Ita non vident phrenitici, aut

ſi videre videantur, non diſcernunt viſa. Ita nec vident moribundi, debilitata facultate: neque qui in extremo poſiti ſenio alterum pedem habent in cymba Charontis.

In ſpiritu. In cernendi ſpiritu contingunt ſecundo vitia, & internæ cauſæ diſſolutæ viſionis. Cùm nempe ſpiritus facultatum delatores, aut facultatem videndi non deferunt, aut malè deferunt. Non deferunt cùm eorum tranſitus obſtructione intercipitur, aut cùm aliò transferuntur: malè autem deferunt aut perturbati, aut conſpurcati: vt in vertigine contingit aut temulentia, in qua gemina omnia diffuſis ſpiritibus apparent.

Vel certè ſpiritus propria in ſubſtantia lęduntur, craſſiores aut tenuiores facti, aut cum copia excedunt, vel paucitate deficiunt. Quanquam exceſſus & copia ſpirituum non videantur viſioni officere poſſe, imò quò plures ſpiritus & ætherei ſunt, eò acutior eſt clariorque viſio. *Spiritus enim vt diſtinctè & acutè cernat*, ait Fernel. ex Galeno, *debet multus eſſe & æthereus.*

1. de Cauſ. ſympt.

Nam multus si crassus quoque sit, & longinqua & vicina quidem videt, vix tamen discernit. Paucus verò licet æthereus sit, luciosos tamen facit, qui propinqua planè discernunt, distantia haudquaquam vident. Paucus & crassus, hebetes, qui neque distantia vident, neque propinqua discernunt, senum hoc ferè vitium est. Hæc Fernel.

Ex his, problemata hæc facilè dissolues. 1. Cur alij cominùs admouent oculo librum distinctè lecturi, alij verò eminùs longiúsque remouent ab oculis? An quia illi habent spiritus subtiliores & tenuiores qui facilè dissipentur; hi autem habent crassiores & densiores, quique aëre indigeant ad extenuationem spirituum, ideò longiùs amouent librum. Cur myopes magis è propinquo vident quàm longè? An quia spiritus pauci sunt & tenues, ideò propinqua vident, & ad obiecta longiora dissipantur. Cur alij nec propinqua, nec remota vident? An quia spiritus & pauci, & crassi hebescunt. Cur nyctalopes diuersi sunt, alij enim interdiu non nocte vident: alij

Problema. 1.
Problema. 2.
Problema. 3.
Problema. 4.

è contra interdiu non vident sed nocte? An quia illi habent spiritus tenebrosos & crassos, qui à luce extenuantur: hi verò habent spiritus subtiles, qui ab vmbra noctis colliguntur ad

Problema. 5. visum. Cur feles, noctuæ, & alia quædam animalia per noctes clarè vident? An quia crystallinus humor in eorum oculis plurimus, nec maiori lumine obscuratus, illuminat vicinum aërem, vt cominus non eminus videre possint. Sed de his in perspectiua.

In neruo optico.

Tertiò, in neruo optico multa occurrunt vitia, quæ visioni incommodant, & cæcitatem inferunt: hæc autem sunt obstructio, vel adstrictio, illa ab humore delabente per neruum, hæc à tumore adhærente vitium facit. Ab obstructione integra nerui optici fit cæcitas *ἀμαύρωσις*, quæ Galeno & Paulo est visus obscuritas, & impedimentum sine manifesto oculi vitio. Fit & *ἀμβλυωπία* seu visus hebetudo, *gutta serena* barbaris, vitium à catharacta distinctum: in hac enim videtur macula infra pupillam, in gutta serena nihil apparet.

Reperiuntur demum immediatæ *In cryſtallino* causæ cæcitatis, in ipso cryſtallino humore. Chryſtallinus etenim natura ſua conſtat ſubſtantia pura, lucida, liquida, mediocriter viſcida, luce actuali prædita, figura ſpherica, cuius ſedes eſt in medio humorum aquei & vitrei, vt vidimus in anatome: ergo ſi ſubſtantia cryſtallini euadit craſſa, fuſior, extenuata, obſcura, inæqualis in figura, & extra naturalem ſitum, cæcitatis cauſa erit in promptu.

Et hæc de cauſis internis, ſequuntur externæ, in humorum corporis noſtri errore, ætate, aëre, cibo, & ſimilibus poſitæ. Pituitoſi & frigidi cerebro facilè hebeſcunt craſſi enim, & debiles ſunt eorum ſpiritus. Frequens ob id etiam ſenibus vitium, in quibus & membranæ & humores oculi tabeſcunt. Pueri & iuuenes fiunt nyctalopes ob cerebri abundantem humiditatem & intemperatam rationem vitæ. Aër caliginoſus, humidus, auſtrinus, ſtagnoſus locus, inconſtantia cæli, & ventorum, herbarum, leguminum, fructuúmque vſus, crapula.

Scola ſalerni. *Balnea, vina, venus, ventus, piper, allia fumus.*
Porri cum cæpis, faba, lens, fletúſque ſinapi
Sol, coitúſque, ignis, labor, ictus, acumina, puluis,
Iſta nocent oculis, ſed vigilare magis.

Cæterùm quidam repente obcæcantur, alij ſenſim & tempore. Præceps humorum lapſus in neruum & oculum, præcipitem facit cæcitatem. Vidit Fernel. vna die conſummatam cæcitatem, catharactam vulgo vocant. Præceps eſt etiam vaſorum & tunicarum oculi ruptio à vulnere, caſu, & ictu. Sat igitur de cauſis, iam ad auguria.

Prognoſis. Cæcitas ab obſtructione nerui optici iamdiu contracta, quæque primis remedijs non cedit, indelebilis eſt. Nec magis ſperabilis eſt, quæ ab imbecillitate cerebri, ſpirituum viſualium paupertate, aut ſenectute fit. Rupto neruo optico, effuſo aliquo humore, vitiata ſubſtantia cryſtallini, aut ſemota, aut conſummata. Cornicum oculos confingeret, aut catulos ante

nonum diem videntes redderet, qui ſimilem reſtitueret cæcitatem. Hanc ergo curare impoſſibile. *Curatio.*

De cæteris cauſis non ita deſperandū. Si à debilitate cerebri, reſtituatur roborantibus. Spiritus craſſiores & tenebroſi, recta victus ratione incidente, & clarificante viſum, reſtaurentur, reparentúrque. Cùm incipit obſtructio nerui, & catharactæ primordia conſpicua ſunt, purgatione crebra, reuulſione, deriuatione, diſſoluentibus & aperiētibus remedijs debet expugnari cauſa. Eſt enim axioma therapeuticum. In morbo cuius cauſa è toto dependet, vniuerſalia remedia præmittenda eſſe particularibus. Et in curatione morborum oculi, aliud ex Platonis Carmenide. Non poſſe curari cerebrum corpore intacto, nec oculum impreuiſo cerebro. Et hæc de cura internorum affectuum in oculo. Externa autem oculi vitia, catharactæ, vulnera oculi, & vlcera, ope chirurgica curari, vulgo cognitum.

DE SVRDITATE.

ENARRATIO XIII.

Surditatis homonimia.



VRDITAS quæ κώφωσις dicitur, multifariam in scriptis Hippocratis vsurpari notum est. Quædam enim surditas est quæ febribus superuenit, de qua aphor. est. *Quibus biliosæ deiectiones sunt, ijs surditate superueniente, desinunt: & quibus surditas adest, ijs deiectionibus biliosis superuenientibus, finitur.* Hæc autem momentanea est, humoris biliosi turgentis, aut typicè fluentis ἄνω καὶ κάτω, soboles. Alia est paululum firmior surditas, morbi acuti turbulentique succedanea, κώφωσιν ἐν ὀξέσι vocat Hippocrates in Coacis, cum ait, *surditas morbi acuti turbulentique succedanea, graue est malum.* Enimuero ait Interpres, firmiter fixa in facultate audiendi cum febre acuta, metu nos terret, tanquam fatalis ad

Aph. 28. 5.

In Coacis c. 3.

lis ad interitum. Solet & fieri surditas etiam in acutis, non quæ sit comes morbi, sed crisis prænuntia. Eius est coaca. *Quibus aures obsurduerunt cum grauitate capitis, hypochondrij tensione, & splendoris offensione, sanguis è nare prorumpit.* Datur ergo surditas interpolata cum manifesta remissione vnà cum paroxismo; datur & acuti morbi comes; datur tertiò & crisis prænuntia.

An quæ refertur in Heropyto Abderita durasse ad centesimum diem, 3. epid. p. 3. & quam Duretus vult significari ijs verbis coacę, ἐν τοῖσι μακρέοισι in chronicis, & vocat surditatem diuturni, meliùs accõmodaretur surditati chronicæ, longæ, & perennanti ad extremam vitæ periodum? Hæc enim stabilis est in vitio instrumenti, & febris expers, nihilque terrificum præse fert, miserationem tantum mouet amicis, vt eleganter ait idem Duretus. Ideoque hanc ego iure fortè vocarem κώφωσιν ἐν βίῳ μακρέοισιν, surditatem diuturni, de qua nobis hîc sermo: certum enim est Christum D. curasse surdos, In Coacas.

& mutos, non acutè febrientes, sed diuturnos: quorum nempe cura difficilior est, quàm sit, cùm in acutis febribus superuenit surditas, quæ leniter pressa organo, vnà cum febris critica motione subleuatur.

Surditatis definitio. Est ergo Surditas, symptoma, quo actio sensus Auditus à causa morbifica aboletur. In quo differt à graui auditu seu βαρυκοΐα, quæ diminutæ functionis est symptoma, & in qua, vt Galen. ait, exiguæ voces penitus non audiuntur, magnæ autem vię percipiuntur. Vnde tandem temporis progressu augescente morbo, ἐκ βαρυκοΐα fit κώφωσις. Differt etiam surditas ab aurium echo, tinnitu, murmure, sibilo, & bombo, sunt enim auditus deprauati symptomata; nascitur autem hoc symptoma ex omni morborum genere, vt mox de causis fiet apertum. *3. De comp. med. sec. loc.*

Pars affecta. Interim partes affectæ primariò sunt, neruorum auditus quinta συζυγία, vel tympanum simul cum neruo, quod multis organum auditus reputatur. In his enim aut cumulantur, aut influunt ea, quæ auditum aut submo-

uent,aut perturbāt. Poſſet affici etiam ſecundariò cerebrum, ſpiritus, aut in cauitate auris oſſicula tria tympano adnexa, quæ auditui inſeruire non eſt dubitandum.

Cauſæ ſunt,intemperies cuiuſlibet generis, ſed frequentiùs frigida, cum humorum orgaſmo & decubitu. Humores autem frigidi ſynatriſmum appoſitè faciunt, facilèque congeruntur in ductibus aurium, craſſitie, lentore, & viſciditate: ſicque fiunt obſtructiones à quibus cerebrum obturatur, denegatur omnis ſpirituum permeandi facilitas, & τῶν ἀκουστῶν introductio. Generatur etiam ſurditas in acutis ab intemperie calida cerebri, cum humorum bilioſorum ſyntimoria. Veniunt deinde & aliæ cauſæ præter intemperies, vt graues aurium dolores, quæ ſyſtrophicas inflammationes acceſſunt: vulnera deinde, vlcera, cicatrices,tubercula,ſordes, *Cauſæ.*

In horum ſignis non eſt multùm laborandum, cùm materias in aurem fluentes, aut congeſtas, intelligamus; ſi calidæ ſint,ex dolore, febre, ſiti, vi- *Signa.*

gilijs: ſi frigidæ, extorpore, ſomno, abſentia febris, & doloris. Addes conditiones omnes à victu, vitæ genere, tempore, deſumptas.

Prognoſis. In prognoſi diſtinguendum, an ſurditas ſit cum febre, an chronica & diuturna. In febre enim etiam ſi contumax dolor ſit, metu non terret coaca, vbi ſic, Ἐν ὀξεῖ πυρετῷ ὦτα κωφωθῆς, μανικόν, in acuta febre aures obſurdeſcere, furioſum. Tranſit videlicet in phrenitidem, exuſta ab ardore febrili flaua bile in cerebro. De ſurditate chronica & diuturna, quæ inflammationi ſucceſſerit, non eſt multùm ſperandum, remanent enim purulentæ aures, aut cicatrices indelebiles.

Secretum. Secretum multis in anatome eſt, vt ſubmiſſa voce loquentes intelligant ſurdaſtri, os ori eorum è regione admouere, quomodo facilè & ſine labore omnia intelligunt, quod multoties in ſurdis ſumus experti: & ratio facilis eſt, patent enim internæ partes ad tympanum externis prorſus obſtructis.

Curatio. Cùm ergo curabilis videtur ſurdi-

tas, imitanda natura est, cuius molimen habes in coaca. *Surditatem è febribus natam soluit profluuium sanguinis è naribus, aluique commotio.* Notat & Hippocrat. aliquando hunc morbum in dolorem coxarum transigere, ischiaticúmque mouere. Affectat ergo natura partes inferiores ad expulsionem causæ surditatis. Rem autem facto comprobat Hipp. in præfata Heropyti historia, qui videlicet centesimo febris die, prorupta liberaliter aluo biliosis excrementis, à surditate & febre liberatus est. Naturæ ergo imitatione purgandum corpus, excitanda hæmorrhagia, corroborandum cerebrum, vbique vniuersalia præmittendo singularibus.

DE MVTITATE.

ENARRATIO XIV.

Surdi naturâ muti sunt.



VRDITATEM & mutitatem indissolubili nexu cohærere, testantur multæ curationes à Domino factæ in hominibus surdis mutisque simul: testatur & naturalis affectuum consequutio, ob partium auditus & loquelæ affinitatem, & societatem. De naturali & innato vitio id intelligendum, & ita quærit Ioubertus. Quid dicet ille qui nihil vnquam audiuit? Surdum ita natura mutum concludit. In surditate tamen, quæ ab externo vitio accidit, non ita frequens est vtriusque affectus implicatio. Cùm ergo de mutitate quæ etiam solitaria esse potest, simus loquuturi, & ea sit loquelæ abolitio & defectus; de instrumentis, & natura loquelæ, pauca sunt nobis præmittenda.

In tomo 1. errorum popularium.

De ijs quæ ad loquelam cõcurrunt. Sono, voce, sermone.

Tria ad locutionem concurrere certum eſt, ſonum nempe, vocem, & ſermonem. Sonus autem cùm ex motu corporum inter ſe collidentium reſultet, eſt qualitas patibilis auditum afficiens. Vox autem eſt ictus aëris reſpiratione attracti, quæ ab anima ſeu ſpiritu in pulmonibus exiſtente ad laryngem impulſo, cum quadam imaginatione efficitur. Sermo verò eſt propriæ cogitationis interpres, homini peculiaris, cuius voces ſignificatiuæ ſigna ſunt, vt enim loquitur Ariſtot. Ἔστι μὲν οὖν τὰ ἐν τῇ φωνῇ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα. Ea quæ in voce conſiſtunt, ſigna ſunt affectuum qui in anima ſunt.

Sonus autem etiam inanimatis corporibus conuenit, vox ſolis animalibus, cùm non fiat niſi proprijs inſtrumentis animali ad id munus conceſſis vnà cum ſpiritu qui vocem edit, vt ait Hippocrates. Sermo autem ſolis hominibus datur, quibus eſt proprium dearticulare voces, & vocabula ad placitum confingere, extra etiam naturalem rei ſignificationem. Ita qui

voces ex placito impositas, & earum significationes non intelligit, barbarus nobis est. *Si nesciero virtutem vocis,* aut D. Paul. *ero ei cui loquor barbarus, & qui loquitur mihi barbarus.*

1. ad Cor. 14.

Instrumenta autem ad simplicem vocem edendam sunt Pulmo, musculi thoracis, aspera arteria, larinx, gurgulio seu columela. Articulatam autem in homine efficiunt, lingua, palatum, dentes, & labia. Nam, vt ait Arist. *Locutio non nisi vocis per linguam explanatio est.* Vocales enim literæ à voce & gutture, consonantes lingua & labijs proferuntur. His ita expeditis iam de mutitate, quæ horum vitio instrumentorum contingere potest, edisseramus.

4. de histor. anim. c. 3. Galen. 2. de plac. & de voc. instit. dissect.

Surditatis homonimia.

In Euangelio mutus, κωφὸς dicitur. D. Marcus mutum vocat etiam μογιλάλον, quæ dictio non absolutam mutitatem, sed potiùs impotentiam loquendi significat. Hippocrati voces consuetæ sunt ἀναυδίη, ἀφωνία: sic Galenus in historias epidemicas, scribit veram hominis vocem seu sermonem, Græcos αὐδὴν nominare. Et Hippo-

crates Pythonem dicit fuiſſe ἄναυδον, καὶ ἄφωνον, ſermone, & voce captum. Has igitur voces quas habemus in atticiſmo ἄφωνος, ἄλαλος, ἄναυδος, κωφὸς, tam defectus quoſdam vocis, quàm mutitatem ſignificare certum eſt. Et ita exiſtimo in Euangelio mutos abſolutè eſſe intelligendos, priuatos videlicet voce & ſermone.

Eſt ergo mutitas, fandi ſeu loquendi impotentia, ſeu ſymptoma in quo actionis animalis voluntariæ, nempe locutionis amiſſio fit. Dico autem eſſe ſymptoma actionis animalis voluntariæ, quia ſolus homo loquitur qui voluntarias habet actiones, & vnà cum ratione, quod alijs animantibus denegauit natura. Nec enim animalia ad loquelam edocta verè ſignificantes voces edunt, nec cum rationis inſtituto, vt eſt inter aues, admirabilis verèque dux volucrum Pſitacus. *Quid mutitas*

Non fuit in terris vocum ſimilantior ales,
Reddebat bleſo tam benè verba ſono.

Nec etiam animalia, quæ pulmonum defectu, inſpiratione & expira-

tione carent, vt insecta, muscæ & apes, vocem edunt: sed attritum quendam interni spiritus, qui potiùs murmur & sibilus, quàm vox, iudicari debet.

Quos sequatur affectus mutitas. Hoc autem symptoma abolitæ vocis & loquelæ sequitur morbos cuiuslibet generis, sed maximè morbos conformationis, & solutę vnitatis, non simplices intemperies.

Pars affecta. Pars autem quæ in mutitate afficitur, lingua est: est enim primarium loquendi instrumentum. *Si lingua*, ait *περὶ ἀρχῶν.* Hippoc. *non articularet non posset homo clarè edisserere, sed singula à natura vnam vocem haberent, muti etiam ex natiuitate disserere non possunt.* Et cætera apud Hippocratem. Cæterùm aliæ partes in ore, gutture, & pectore, linguæ deseruiunt.

Causa. Huius ergo admirabilis & elegantis in homine functionis causas sedulò peruestigemus. Precipuas legimus in lingua, alias in partibus subseruientibus linguæ ad loquelam. Excedit aliquando lingua, & toto ore intumescit, idque vel ab humorum defluxu qui potest curari, vel à natiua eaque

vitiosa conformatione, quæ curari non potest. In ea etiam oris parte molli & laxa quæ sub lingua est, & cui ea incubat, atque quasi vinculo alligatur, tumor colligitur batrachus appellatus, qui interdum phlegmones, sæpius œdematis mollis & laxi speciem exhibet, è quo aperto mucus prosilit oui candido persimilis: verba sunt Fernelij, fit etiam & vinculum sub lingua vitium pueris familiare, de quo sic Paulus. *Ligatio linguæ quæ ancyloglosson appellatur Græcis, aliàs naturaliter accidit, membranis durioribus magísque à prima origine minutis linguam continentibus, aliàs ex acquisito ob cicatricem quampiam duriorem sub ipsa ex vlcere contractam. Qui igitur à natura hoc vitij habent, eò quòd tardè sermonem explicare incipiunt, & vinculum sub lingua iustò magis appareat, exulceratione non præcedente, cognoscuntur. Qui verò ex acquisito, cicatricem manifestò conspicuam habent. Hæc Paulus.*

De batracho.

De vinculo sub lingua.
Lib. 6. c. 29.

Inter partes autem quæ voci opitulantur & sermoni, sensibus patet gurgulio in palati extremo propen-

dens, vuea ſeu columella dicitur, ſi gurgulio igitur deficit, lęditur admodum locutio. Excedere etiam poteſt: Quod vitium animaduertimus in filiola nepte amici noſtri Domini Ioannis Arroy pharmacopei Inſulani exercitatiſſimi. In qua videlicet naturalis mutitatis nulla apparuit vnquam cauſa, præter duplicatum gurgulionem à nobis animaduerſum.

Poteſt deinde mutitas fieri à mala conformatione harum omnium partium oris, vel etiam laryngis. Poteſt & ab earum paralyſi. In confirmata enim paralyſi obmuteſcere omnes animaduertit Fernelius. Ab ortu quoque nonnulli muti permanent, idque naturæ conformantis vitio. *Viſus eſt etiam*, ait ille, *qui leuiore ex cauſa biduum triduúmue loquela adimeretur, móxque repente & inordinatè redderetur. Et qui ſæpius ex interuallis modò muteſceret, modò loqueretur integrè ſano corpore.*

Hiſtoria.

Dicerem ergo hos fuiſſe melancholicos: vt duos præſtantes & doctos iuuenes, quos nos vidimus à multis diebus factos mutos, nec velle loqui, etiam ſi diuerſorum Medico-

rum præſcripto, frictionibus aſperis, dolorificis ligaturis, ſcarificationibus profundiſſimis circa ſcapulas vrgerentur. Quos ſimulata ab eorũ horoſcopo à nobis ante eos depicto prædictione mortis, & dato ac propinato remedio, quod vt occultum prædicabamus, magno adſtantium applauſu extemplo fecimus loquentes. Vnus eorum erat Lumberijs, in chariſſima patria mea, alter florentiſſima in vrbe Cadurcorum.

Cur naturâ ſurdi muti ſunt.

Et hæc de cauſis mutitatis ſufficiant. Sed cur ſurdi naturâ muti etiam ſunt, & muti ſurdeſcunt? An ſi cerebrum vel aurium ductus & tympanum malè conformantur, aut alio vitio natiuo laborant, conſocialis eſt partibus oris palati & gutturis affectio? An ſi non audit non poteſt loqui, quæ enim poſſet eſſe in muto obauditio? Quæ poteſt eſſe ſpecierum obiecti communicatio?

Curatio.

Inuentâ cauſâ de remedijs cogitandum. Natiuam illam ſurditatem velle curare, vafri & vani eſſet pollicitatoris. Quæ per accidens contingit, a-

motione causæ fluentis, aut impedimenti excisione, vt cùm adest ancyloglossis, artificiosè curatur. De his consulendi Medici & Chirurgi in arte exercitatissimi.

DE FEBRIBVS.

ENARRATIO XV.



INSITVS noster calor, qui in soliditate partium corporis stabulatur & residet, influēte & ab alimentis acquisito conseruatur. Vtriusque autem primaria sedes in corde est, & vtriusque affectio vna quæ febris dicitur: & quæ nihil aliud est, quàm calor præter naturam accensus in corde, & per arterias toti corpori cōmunicatus. Qua definitione constat febris essentia, & inprimis quis sit affectus.

Definitio febris.

Est enim intemperies calida, cùm nempe cordis calor tam insitus quàm influens, è naturali in igneum præter naturam conuertitur. Quæ quidem

Definitionis explicatio.

calida & æstuans intemperies comitem sibi accersit siccitatem: Ideoque Galen. calorem febrilem siccum appellabat, & febrem passionem calidam & siccam. Non enim illorum sententiam sequor, qui dicunt febrem esse intemperiem siccam per accidens, quia nempe immoderata caliditas ex accidenti consumendo humidum, eam sibi ascifcit: nec morbosa est aiunt illi, non minùs quàm siccitas in bilioso homine: vtrumque certè falsum est. Primum videlicet, quoniam ignis non est sine siccitate, nec effectus febris, sitis, vigiliæ, æstus, vni debentur calori, sed etiam & siccitati. Nec est ęnigma Hippocratis edictum, Victus humidus febricitantibus omnibus confert. 1. Aph. Alterum etiam deflectit à vero: non quidem in bilioso homine siccitas morbosa est, quia illi naturalis est: sed si siccitas non est morbosa in febre, nec etiam caliditas, quia vtriusque qualitatis febris est excessus: aut febris esse posset affectus partim secundùm naturam, & partim contra naturam, quod à Medicis cogitatum

non eſt aut literis mandatum.

Sed perſequamur dictum eſt in definitione, *Calor præter naturam accenſus in corde*: in parte videlicet vbi eſt fons caloris. In corde autem ſunt ſpiritus, humores, & ſubſtantia ſolida, quæ ſolidam partium ſubſtantiam complent vt in 2. parte explicatum eſt. In ſpiritibus autem diaria fit, quæ Græcis Ephemera dicitur, in humoribus fiunt febres putridæ, in ſolidis partibus hecticæ. Nec ſequitur, vt arguunt ſuperiores Medici, ſi febris ſit intemperies ſicca, omnem febrem eſſe maraſmum: Quoniam ſolus maraſmus & hecticæ poſtremus hic gradus, in partibus ſolidis conſiſtit, non in ſpiritibus, aut humoribus, quorum humiditates extremæ ſiccitati obſiſtunt: quanquam & in illis febrilis adſit ſiccitas, quæ & ſiccos producit effectus, non minùs quàm aqua marina poteſtate ſicca deſiccat. Addit deinde definitio. *Et per arterias toti corpori communicatus.* Ex Galeno enim & Auicenna, non poteſt eſſe an dici febris, niſi primùm accendatur calor in corde, vnde toti corpori fiat

ri fiat communis: de primarijs febribus loquor, ſymptomaticę etenim alijs in partibus originem nanciſcuntur, vt mox dicemus. Hæc igitur ſit febris eſſentia.

Differentiæ febrium. Febrium differentias, tam eſſentiales quàm accidentales, primus omnium perſecutus eſt Hippocrates. Cuius dianiam Galenus aperuit, atque eſſentiales diſtinctiones ex accidentis natura philoſophicè à ſubiecto venatur. *Diariæ.* In ſpiritibus ſunt diariæ febres, quæ ob facilè diſſipabilem & euanidam ſpirituum ſubſtantiam, vna tantùm die durãt, ideo eas diarias Latini, & ephemeras Græci vocant. *Putridæ.* In humoribus ſecundò fiunt humorales febres, quæ vel continuæ ſunt, vel intermittentes. *Continuæ.* Continuæ ſunt quæ materiam habent in maioribus venis cordi proximis: *Intermittentes.* intermittentes verò quæ in minoribus longè à corde ſemotis, vt in ventriculo, meſenterio, cauo iecoris, & lienis.

Rurſum tam continuæ quàm intermittentes, pro humoris idea & ſpecie diuiduntur. Si enim bilis in maio-

ribus vaſis accenditur, continua tertiana dicitur. Si eadem ſit bilis ſed extra vaſa maiora,& in minoribus venis recondatur, ibique putreſcat, fit tertiana quidem ſed interpolata,quæque ſingulis tribus diebus redit. Si pituita intra venas maiores putreſcat, cotidianâm continuam excitat; extra vaſa verò intermittentem, quæ ſingulis diebus repetit.Idem de melancholia,quæ intra venas maiores,agit continuam quartanam; extra venas & in præcordijs,intermittentem.

Diximus de febribus ex idea vnius, vel alterius humoris, tam in venis, quàm extra venas nempe maiores. Iam ſciendum eſt totam maſſam ſanguinis, nulla diſtinctione humorum facta, inflammari poſſe, vel ſimplici inflammatione ſine putredine, vel cum putredine. Si tota maſſa ſine putredine flagrat febre, dicitur ſinochos febris non putris: ſi verò tota maſſa putredine contaminatur, accenditur febris ſinochus putris. Vtriuſque tam putridæ, quàm non putridæ, eædem ſunt differentiæ. Alia enim eſt epac-

Sinochos.

maſtica, quæ perpetuò increſcit; alia paragmaſtica, quæ vbique decreſcit: tertia homotonos, quæ æquali tenore incedit.

Huic febri ſinocho cum putredine, ſi bilis ardens adiungatur, fit febris ardens ſeu Καῦσος: cuius ſunt duo aſſidua ſigna, ſitis inexhauſta, & linguæ nigredo. Accedunt vigiliæ, deliria, phrenitides, & inflammationes partium nobilium, quæ tandem malignam febrem & cum cacoëtia demonſtrant. Hanc iuuenes bene natos, ſanguineos, & quadratos incurrere videmus ſæpiuſcule. Ita anno decimoquarto ſupra milleſimum cum eſſet popularis Toloſæ febris hæc, ſuſtulit multos probè conſtitutos. *Febris ardēs. Cauſos.*

Hæ igitur ſunt earum febrium differentiæ, quas primarias Medici vocant, cùm focum putredinis habeant primo in corde. Aliæ enim dantur febres & continuæ & intermittentes putridæ, quæ primò non accenduntur in corde, ſed ſuſcitantur ab inflammatione alicuius partis, quæ communicatur cordi: has ſymptomaticas vo- *Febres ſymptomaticæ.*

cant, cum ſuccedant ſiſtrophicæ inflammationi alicuius partis extra cor. Sic febris eſt ſymptomatica typhodes ab alicuius partis interno eryſiplate, vt ab inflammatione aut iecoris, aut pulmonis. Ita etiam dantur quædam febres quarum non eſt à primarijs eſſentialis differentia, ſed à quibuſdam accidentibus nomen capiunt, tales ſunt lypiria, elodes, epiala, ſyncopalis, Tales fortè ſunt & illæ quas depingit Hipnoc. in 6. epid. Cùm ait. *Febrium hæ quidem manu ſunt mordaces, illæ verò mites: quædam non mordaces ſunt, increſcentes tamen, &c.*

Febres nothæ, & implicitæ. Dantur & aliæ quædam ſpecies, ex ſupernarum implicatione & miſcella. Cùm videlicet aut cauſæ diuerſæ febrium miſcentur, aut febrium typi. Illas confuſas nothas & ſpurias vocant, has verò implicitas & connexas. Cōfuſæ ſeu nothæ febres ſunt, in quibus humores, bilis vtraque, ſanguis, pituita, confuſim & promiſcuè miſcentur: vt tertiana febris notha, quæ ex bile & pituita mixtim confuſis naſcitur. Implicitę autem illę dicuntur,

quę ex multis diuersisque febrium speciebus constant, vt tertiana duplex, quartana duplex & triplex. Sic & Hęmitriteos seu semitertiana, quę ex quotidiana continua & tertiana, intermittente constare dicitur.

Hęc itaque breuiter dicta sint de febribus humoralibus, supersunt pestilentes & epidemicæ, quæ à superioribus non differunt, nisi sola qualitate occulta, eáque contagiosa, quæ nihil aliud est, quàm excessus quidam & summus gradus putredinis, communis factus vel à diuersis temporum mutationibus, & aëris corruptela, aut ab influxu maleficorum siderum. Hoc est quod ait Hippocrates esse diuinum in morbis. Transit autem in humores & spiritus qualitas ea perniciosa, quibus contagium imprimit. Fieríque potest diaria febris pestilens, impressa nempe lue in spiritibus: fiunt & humorales cuiuslibet speciei & typi pestilentes, si fomes transit in humores: vt & hectica pestilens, si altiùs in partium corporis primigenium clades contendit. De his omnibus Hucherius præ-

Febres pestilẽtes.

1. Prog.

ceptor noster Monspeliensis clarè & doctè edisseruit.

Hectica febres. De febribus hecticis simplicibus, quarum subiectum est pars solida corporis, nunc restat breuiter edisserendum. Hanc in tres gradus vulgo diuidunt. Primus est, in quo carnosa partium substantia absumitur. Secundus cùm ea absumpta est, & prorsus carne partes destituuntur, à calore nempe amplius procedente, & vsque ad humidum radicale partibus insitum, in quo tertius gradus consistit, est enim tunc febris hectica cum marcore, quam Graeci vocant marasmum. Tunc ea quae constituebant substantiam partis, videlicet spirituosa, humida, & solida exhausta sunt, vniuersáque corporis moles corruit & depeculatur. Quam qui in eo postremo gradu curaret, alter Prometheus hominem de nouo conderet.

Causae. Febrium autem causae vt caeterorum morborum, vel externae vel internae sunt. Externae in rerum nonnaturalium errore positae sunt: ad quinque modos has reduxit Galen. motum, pu-

1. de diff. feb. c. 5.

crefactionem, calidi occurſum, ſuppreſſionem calidi effluxus, & calidæ eſſentiæ permixtionem. Internæ aliæ ſunt antecedentes, in humorum vel plenitudine vel cacochymia poſitæ: aliæ ſunt coniunctæ quæ immediatè febrem efficiunt.

Diariæ febris cauſa.

In primis ergo Diarię omnes ab externis cauſis accenduntur, vt à ſolis ęſtu, ambientis frigore, laſſitudine, labore, vigilijs, inedia, ſtudio, ira & ſimilibus. Quę omnes etiam cùm vehementiſſimę ſunt, hecticam mouent, quam Diaria pręcedit. Sic & ab ijſdem cauſis è diaria facilis eſt lapſus in continuam: contrahuntur tamen continuę febres ab incauta victus ratione, vt à nimia cibi copia & helluatione, & vitioſorum alimentorum vſu.

Et hecticæ.

Et Putridæ.

Frequentior cauſa continuarum & putridarum omnium febrium, eſt prohibita tranſpiratio, à pororum cutis valida obſtructione; quę fit dupliciter vel à frigido conſtipante, vel ab interna humorum plenitudine cum eorum lentore & glutinoſitate: quę tenues venarum & pororum ductus infer-

ciunt, & humorum tranſpirationem prohibent. Vnde febris putrida his ferè gradibus generatur: ab humorum multitudine, glutinoſitate & craſſitie fit obſtructio, ab obſtructione prohibetur tranſpiratio, à prohibita tranſpiratione fit putredo, à putredine febris.

Signa.

Cum igitur febris in vniuerſum alia ſit ephemera, putrida alia, & hectica, ſigna earum ſunt in vniuerſum proponenda.

Ephemeræ.

Ephemeræ in primis dignoſcuntur calore, pulſu, & vrina, quæ non multùm à naturali conſtitutione euariant: eſt enim calor mitis, ſuauis, nec cum acrimonia tactum feriens. Frequens quidem & velox pulſus eſt, ſed æqualis, neque magna cum ſiſtole & depreſſione. Vrina concocta apparet, nec colore, ſubſtantia, aut contentis immutata. Inuadit repente, ſine horrore aut rigore ephemera, niſi corpus cacochymum inuaſerit.

Putridæ ſigna.

Putridas febres dignoſces, primò à calore acri & mordaci feriente manum, à pulſu celeri magno & inæquali, cum velociori ſiſtole: ab vrinæ cru-

ditate,confusione,rubedine,& obscura concoctione. Putridas deinde febres antecedit inæqualitas, & neutra corporis dispositio: & antequam febris prehendat, vel inapetentia, vel dolor capitis,vel aliud quid præcessit. *Spontaneæ lassitudines*,ait Hippoc. *morbos prænuntiant.* Continuas autem febres ab intermittentibus,temporis duratione distinguimus, si extra 24. horas,sæuierint: & in continuis non est infebricitatio & ἀπυρεξία, remissio quidem esse potest nunquam pura intermissio. Aph. 5.2.

Hecticas cognosces in contumaci duratione, nulla notata inuasione, augmento,statu,& manifesta declinatione, & cùm ægrotus se febricitare non putat,neque dolet quæ iam ęqualis sit, & in toto habitu contracta intemperies. Calor prima manus admotione mitis est, sed breui acris, mordax,& squalidus percipitur. Cùm autem tres sint hecticæ gradus, hos apertè leges in marcore, & corporis manifesta extenuatione & squalore. Incendium autem solidarium par- *Hecticarum signa.*

tium manifestè detegit duabus horis ab ingesto cibo auctus calor, acriorque factus.

Prognosis. Ad præsagitionem in febribus maximè in continuis quatuor illa quæ in Enar. 17. 2. partis diximus sunt meditanda Idea, magnitudo, motus, & mos: Idea febris ex specie innotescit. Præuidendum diligenter quæ in temporis constitutione & victu præcesserint, vt de malignis febribus consulamus. Huius prædictionis artem habemus integram, in Hipp. libris epidemion. & 3, Aphorismorum. Sic ex illius libri Aph. 11. & ex 2. statu 1. epid. sinochon febrem cum pernicie in iuuenibus futurã præuideramus Tolosæ, anno 1614. paulò antequam grassaretur: præcesserunt etenim ferè omnia, quæ in 2. statu ad temporum constitutionem narrat diuinus Hippocr. subsecuta ergo fuit magna cum ratione febris calamitosa iuuenibus, quos magno numero sustulit de medio.

Prædictio febris anno 14.

Motus febris in quatuor temporibus spectatur, in principio debiliora sunt omnia, in statu vehementiora,

vbi perturbatio critica negotium facefsit. Difficile in multis, vt in Apoplexia, conuulfione, & febre finocho epacmaftica quæ perpetuò increfcit, paragmaftica quæ femper decrefcit,& homotono quatuor diftinguere tempora: in quibus tamen ex vrinæ & excrementorum coctione, aut cruditate, de ftatu difcernendum. Quandiu enim incoctus eft humor morbus dicitur effe in principio, vbi incipit coqui eft augmentum,& coctio fit & apparet in ftatu, in quo natura coctum humorem fecernit,fecretum expellit, magna quadam & copiofa euacuatione, quæ crifis dicitur. Hoc autem falubriter agit in fperabili morbo miniméque fatali, aliàs in defperato, in augmento augefcunt quidem accidentia fed natura decrefcit, profternitur, & paulatim oneri fuccumbit,omnifque falutis fpes retro collapfa refertur.

De curatione vniuerfali febrium fequitur In febribus ergo vt in cæteris affectibus amouenda primùm caufa eft,deinde curandus affectus,& quæ

restant symptomata delenda sunt. Febris est intemperies calida & sicca, si ergo affectus hic solitarius sit, nec sit causæ coniunctus, contrariorum lege extinguendus est contrarijs. Ita diarias & hecticas frigidis & humidis profligamus. Si verò febris comitem habet causam, ea primò electiuo medicamento, & sanguinis misione fuganda, deinde contrarijs relicta intemperies delenda: vt in febre continua putrida, vbi causa præsens est, & in maioribus venis contenta, ita procedendum, vt affectus omnes qui sunt in febre ordine submoueantur. Sunt autem febris, putredo, prohibita transpiratio, obstructio, humorum plenitudo, & crasities. A postremo exordiendâ cura nempe soluenda est humorum plenitudo sectione venæ, cacochymia purgatione, reserãda deinde obstructio, aperientibus, incidentibus, detergentibus: soluta obstructione euanescet prohibita transpiratio, quæ nihil habet facti. Putredinem in crisi natura euacuat, illius enim hoc opus est: eius est enim excernere &

euacuare, cuius est cõcoquere, quãquã non rarò natura ope medici indigeat. Postremò his sublatis affectibus & causis, remanet febris quæ frigidis & humidis venit extinguẽda, cùm remedijs, tum victus ratione conuenienti.

Sed in febrium cæterorúmque morborum curatione, nos exercitatorum Medicorum prudẽtiæ committamus, qui particulares omnes omnium indicationes & curandi methodos, multis experimentis probè norunt. Mulierculis & rerum medicarum imperitis ne fidamus, temerarios ciniflones, agirtas, & empiricos fallaces exsibilemus. Vt enim sapienter demonstrat Galen. *Experimentum periculosum materiæ subiectæ ratione. Neque enim lateres, lutum, ligna, lapides, tegulæ, & coria artis medicæ sicut aliarum materia sunt, in quibus multis modis impune licet experiri. Ligna enim & corium si malè tractãdo destruxeris, nullum exinde periculum: in corpore autem humano illa experiri quæ non sunt experientia comprobata, non est citra periculum, cum mala experientia ad totius animalis interitum terminetur.* Com. 1. aph

DE HYDROPE.

ENARRATIO XVI.

Hydropis nomenclatura.



YDROPS, Aqua intercus, aquoſus humor, aquoſus langor, nomina ſunt, ab aqua quæ in hoc morbo maximè generatur. Cælius Aurelianus παρέκχυσιν appellat, ſenſibilem & manifeſtam liquoris ſuperfuſionem, quæ fit inter peritonei membranam & inteſtina. Hyderon autem diſperſum ſiue infuſum per viarum raritatem, atque carnis ſpiramenta liquorem. Inde vulgo definitur Hydrops tumor corporis aquoſus, vel collectio humoris præter naturam inter peritoneum & inteſtina.

Lib. 3. Chronion c. 8.

Definitio hydropis.

Nobis placet Capiuaccij definitio. Hydrops eſt tumor ventris, vel totius corporis, productus ab intemperie frigida hepatis. In primis ergo Hydrops tumor eſt, non tumor in carnoſa par-

tium substantia vt phlegmone, aut œdema, systrophicè congestum in partibus, & cuius materia vel dissipatur, vel suppuratur. Sed tumor hic symptoma est tertij generis, in tactu & visu: quod sequitur aliud symptoma, nempe actionem læsam hepatis coctricem, quod præ debilitate & paupertate caloris generat aquam.

Certum enim est & à Galeno confirmatum in omni hydrope lædi hepar, vbi sanguinis & humorum officina est, vbi naturales & nutritiæ facultates lucent, dum viuidum est illi τὸ ἔμφυτον θέρμον: cuius infractio & debilitas Medicis pro frigido habetur. Statutum enim est actu frigidum in corpore non reperiri. *Pars affecta.*

Infringitur autem robur illud hepatis, & intemperies frigida inuritur illi, multis de causis, quas concipit hepar ex se, aut ab alio. Vulgares practici dicunt per se, aut per consensum, fit autem hydrops per se, proprio scilicet & syngeneo hepatis vitio: vt cum cæcus ignis torret hepar, in quo præ ardore bullas excitat, quæ Græcis ὑδά- *Causæ.* *Hydrops per se.*

πόδης dicuntur, quibúsque diſruptis aquoſa ſanies in ventrem deſcendit.

Intemperies autem retorrida hæc, multis natiua eſt primigenia & προϋπάρχουσα, quæ cum ætate ſimul accreuit; eſtq́ue συνέζοιος diætæ vitio, carnium edacitate, & generoſi vini potatione, ſalſorum eſu contracta: In ijs maximè qui μεγαλόσπλαγχνοι, magnis conſtant & voracibus viſceribus, otioſéque viuunt atque cum genio. Quibus etiam ſuppreſſis hæmorrhoïdibus vis nutritia in hepate ſuffocatur, & fit tandem ἀτονία, accerſitúrque frigida intemperies, quæ eſt cauſa immediata morbi. Atque vt doctè loquuti ſunt Gordonius & Guido Cauliacenſis fit hydrops à frigido per ſe & vniuocè, à calido verò per accidens & æquiuocè: quoniam videlicet calor is natiuũ hepatis genium exhaurit, & frigiditatem inducit. Sic erat eorum Ænigma in hydrope calidum & frigidum eodem reſidere in loco, & eadem hepatis parte. Hoc autem cum manifeſtò præceptis philoſophorum contradicat, vt ſilenum alterum Alchibiadis ſic ape-

c. de hydrope.

Aenigma Gordonij.

ſic aperiunt. *Eſt frigidum & calidum in eadem parte hepatis, vnum tanquam formatum & coniunctum, reliquũ tanquam formans & antecedens, vnum naturale reliquũ præter naturam, vnum materiale reliquum formale, vnum apparens reliquum occultum.* Ita certè ab hepatis ardore & maraſmo περὶ φρυγῆς, immedicabilis ſuccedit frigiditas, proprio nempe hepatis vitio.

Fít deinde per conſenſum hydrops, errore partium hepati conſociarum, & quarum officio hepar carere nequit, ideo mutuò ab ijs etiã afficitur. Quãdo frigeſcit ventriculus immoderato potu aquæ aut ſimili lapſu, cùm grauis & longus contingit alui fluxus, ſi lienis pertinax tumor non cedit, cùm obſtructio hepatis indelebilem icteritiam facit, cùm fœdi colores delicatulas virginum facies diu deturpant, cùm febris ardens genium hepatis deuaſtauit, aut omnem criticam materiam in abdomen tranſtulit, tunc certè præ foribus eſt hydrops, & in propinquo aquæ cumulus & ſynatriſmus cum hepatis atonia. *Hydrops per conſenſum.*

Tres species hydropis. Cùm autem pro causarum varietate inæqualiter debilitetur hepar, tres hydropis species constitutæ sunt. Exigua & momentanea hepatis frigiditas flatus gignit, quæ tamen aucta, magnos flatus cumulat, & ventrem tympani in modum distendit, indéque tympanites dicitur: quæ species multos habet flatus, humoris & aquæ parùm. Maior est intemperies in ascite, cùm vt in vtre aqua in ventre fluctuat, non tamen sine flatu, eóque minore quàm in tympanite. Tertia species est anasarca seu leucophlegmatia, cùm aquosus admodum sanguis per vniuersum corpus diffunditur, quo madidæ partes intumescunt cum pallore, hanc enim speciem præcedit cachexia, quæ malus est corporis habitus.

Signa. Causarum & specierum hydropis signa aspectui dum se offerunt & apparent, longa commentatione non egent. An per se & alienatione virtutis sanguificæ διὰ τὴν ἀποτυχίαν τοῦ τῆς αἱματώσεως ἔργου, quæ penes est ipsum hepar: an verò functionis hepaticæ

impedimento, ſeu per aliarum partium ſympatheiam fit hydrops, diligenter eſt inueſtigandum: inde enim & prognoſis,& curatio dependent.

Speciem autem hydropis ſic breuiter explora. Si fluctuatio cum murmure adſit & borborigmo, & ab vno latere ad aliud aqua deferatur, Aſcites eſt. Percuſſi autem tympani in modum reſpondet ſonus ad manus impulſum in Tympanite. In Anaſarca totum corpus tumet, & præmentis digiti caro impreſſum ſeruat, pars eſt mollis,laxa,pallida,& cachectica. Antecedit verò omnem hydropem pedum tumor laxus, & œdematoſus: partes enim à fonte caloris remotiſſimæ citiùs proprio defraudantur genio,intumeſcunt & contabeſcunt.

Præuidemus autem hydropem animaduerſione cauſarum, vt tympanitem ex ſententia Hippocratis, quæ ſic eſt: *Quibus tormina adſunt,& circa vmbilicum cruciatus, & lumborum dolor, qui neque medicamentis, neque alijs præſidijs ceſſerint,in hydropem ſiccum terminantur.* Hydropis autem ſanabilis aurea eſt

Prognoſis.

Aph. 11. 4.

deſcriptio hæc,ex 2.porrhet. Oportet eum,qui dominatu hydropis tenetur & tamen ſuperſtes futurus eſt, eoque ſalubriter defunctutus, primùm quidem viſceribus bene moratis prædi- tum eſſe, vt virtus naturæ luceat in concoquendo ex facili:tum facilè ſpiritum ducat,doloris expers,totúmque adeo corpus æqualiter, ſuauitérque caleat,nec extimæ partes liquentur & contabeſcant. Dein nulla tuſſis adſit, nec ſitis,nec linguæ aſperitas, ſit aluus morigera; ducatur mollibus & figuratis excrementis. In his enim ſignis cum ſpe ſalutis prædiuite initur therapia:contrarijs verò apparentibus, nec facilis, nec certa curatio, vt cùm adſunt quæ coaca dicit. *In hepatico mala eſt colliquatio cum raucitate & tuſſi.* Græcè eſt ἐφ ἠπατικῷ τῆξις ϗ ἅμα βράγχου, κακόν. Mutuò enim conſpirant phtiſis
35. 6. & hepatitis. In Aphor. *Hydropicis ſi tuſſis ſuperueniat, malum.* Tranſlatione videlicet humoris, & propagatione aquarum in pulmones: aut compreſſione pectoris à tumore hepatis mani-
In coac. feſtò qui tactui ſe offert. *Hydropes*

etiam illi ait Hipp. *permolesti sunt qui veniunt à morbis acutis, vt à febre.* Tandem. *Quibus iecur aqua plenũ eruperit in omentum, ijs venter expletur aqua, & moriuntur.* Aph. 57. 7. Fluctuat autem aqua diuersis in locis, sed frequentiùs vel inter omentum & intestina, vel inter omentum & peritoneum: quo loco dum semel aqua cumulata est, non potest illûc extrudi, vt doctè notat Holerius.

Curatio. Sed iam ad curationem nos accingamus. Hydropes per consensum ijs in locis prçuertuntur vnde scaturiunt. Curetur ventriculi frigida intemperies, si illa in vitio sit. Sistatur diarrhæa, curentur tumores viscerum cùm adsunt; reserentur obstructiones sine mora, ne verus hydrops primarius tandem contingat. Si simplex sit humorum synatrismus ex abscessu febris, quæ crisis materiam deposuerit in abdomen, haud cunctanter per hydragoga soliciteтur, sic etiam cùm ab liberali aquæ potione venter distenditur: quæ certè triscuria est Paracelsi, qui ex hydrope isto curabili, omnium sanationem pollicetur. *Paracelsi error.*

Non enim hydrops verus & primarius cum corruptela ſubſtantiæ viſcerum, quam μεγάλην κάκωσιν vocant, curabilis eſt ex facili. Dubitatur in primis, An conuocatus Medicus, curamq; morbi aggreſſurus, poſſit cum ſecuritate generalia remedia phlebotomiæ & purgationis aggredi. Diſtinguunt, ſi morbus ſit cum ſanguine, vt in ſuppreſſis hæmorrhoïdibus, aut mulierum cataminijs, mittunt ſanguinem: hoc etiam indubitatum eſt in Anaſarca, vbi cacochymia venas intrat, in quo etiam purgandum eſt. At in cæteris ſpeciebus non ita de venæ ſectione ſtatutum, neque certè tam tutum niſi reſtitet ſanguis in venis magna copia, idque in morbi principio, in procinctu enim, fractis viribus, quid prodeſſet? quis auderet? Aquæ & crudorum copia adeſt, ſanguis frigeſcit, corpus contabeſcit, calamitoſa ergo venæ ſectio.

An igitur præparandi humores, & denuò expurgandi? Quid proderit præparatio in aquarum confluxu reſtagnante! An coquendæ aquæ ad

vnam crisim,vt humores in febribus putridis? Exhauriatur ergo cumulus hic,si vires ferant accomodato hydragogo, aut Parachẽthesi aperto ventre per vmbilicum aut antiquo more idq; initio morbi. Etenim edictũ est, ὑδρωπιῶντας αὐτίκα τάμνειν hydropicos statim secare, dum nempe vires valent, nec aquarum inundatio aut naturæ cãpos submergit, aut vicinos eluit limites. Roberetur interim hepar ne fatiscat.

Decet in cæteris speciebus Tympanite & Anasarca humores pituitosos parare, & expurgare. Concocta enim medicanda sunt non cruda. Adsunt in hepate, meseræo, & liene obstructiones,quæ sunt reserandæ:vt facilior & fœlicior succedat purgatio. In tympanite maxime,ratio flatuum habenda est,qui dissipandi sunt & extenuandi. Sed quàm difficile sit simul intra peritoneum & intestina inclusos excludere flatus, dici non potest. Locus conferens Hippocrati in ascite, & cæteris speciebus est per secessum,illa lege.Si leucophlegmatia detento,fortis diarrhæa superuenerit, soluit morbum. Sed de his satis.

DE MVLIEBRI profluuio.

ENARRATIO XVII.

Cur sanguine mulieres abundent.



EA est mulierum constitutio, vt plurimo abundent sanguine, cùm & fœtum in vtero conceptum fouere, & natum enutrire debeant. Eo ergo genio mulierum corpus natura composuit δυσδιαφόρητον & vix perspirabile, vt detentus sanguis per venarum ταυσίωσιν in vterum confluerer, futura fœtus alimonia: quo edito ad mammas reflueret eosdem in vsus: esséque summo naturæ beneficio nutrix illa, quæ mater fuit, ne aduena & alienigena nutrix, dulcissimum matris nomen sibi arrogare posset.

De menstrua purgatione.

Vbi ergo mulier nec habet in vtero, nec editi fœtus nutritióni incumbit, venoso in genere turget, sanguinéque abundat, & statis Lunæ periodis singulísque mensibus per vteri venas delabitur sanguis, magnóque salu-

tis commodo ſemel in menſe expellitur. Qui ſi immoderatius profunditur, & extra conſtitutos naturæ limites tertium diem in viraginibus & robuſtioribus, quintum in mollioribus excedat, in fluxum inordinatum faceſſit & morbus tandem oritur, iſque chronicus.

Hunc Medici vocant fluxum inordinatum, in quo non tantum quantitatis, quantum qualitatis habenda eſt ratio. Accedit enim corruptela ſanguinis, & omnis corporis impuritas quæ eò deſinit. Varius admodum in ſubſtantia & colore ſuccedit ſanguinis, modóque ῥοῦν λευκὸν, modò ῥοῦν ἐρυθρὸν, profluuium album, profluuium rubrum appellitant, de quo nobis hîc eſt ſermo. Definitur ergo fluxus mu- *Definitio muliebris effluxus.*
liebris, ſanguinis qualitate peccantis per vterum excretio, vitio aut facultatis, aut ſanguinis, aut vteri ipſius contingens. Symptoma eſt ſecundi gene- *Quis affectus.*
ris, quod eſt in excretorum ἀμετρία, quodque aliud ſymptoma ſequitur, actionem videlicet vteri læſam, ab intemperie quadam calida, frigida, humida, aut ſicca, aut alio morbo.

Pars affecta. Pars affecta in fluxu muliebri, vterus est:& si enim supernarum partium vt cerebri, ventriculi, hepatis,aut lienis vitio sæpe contingat ; non potest tamen non lædi vterus, cùm à vitiosis & impuris tangatur humoribus.

Causæ. Causæ autem immoderati & vitiosi defluxus, vel in facultate, vel in sanguine,vel in ipso continetur vtero. Facultas læditur, cùm vel expultrix ab humoribus acribus, & à sanguine bilioso lacessitur: vel retentrix à morbo quodam, aut euidenti quadam causa debilitatur. Labascit & aliquando concoctrix, in paupertate caloris natiui,in ventriculo ab aliqua causa infracti. Vitium etiam in sanguine esse potest,quia copia turget, vel qualitate,vt acrimonia & tenuitate peccatum peccat. Vteri etiam ipsius venæ si extra naturam dehiscant, aut rumpantur, vel exedantur. Possunt dari externæ causæ importuni istius symptomatis, quas existimo positas vel in aëre feruidiori, aut humidiori, in deside vita, molli, & inerte,tum & in humidorum immoderato vsu.

Signa causarum in afflictæ mulieris temperamento, habitu, colore & moribus reperies, & in excreti colore qualitatem causæ iudicabis. Purus enim excernitur sanguis in solo immoderato profluuio: sed vbi fit ῥοῦς τῆς ὑστέρας impurus succedit, & conspurcatus sanguis, flauus in biliosis, pallidus in pituitosis, & in melancholicis nigricans. Loci deinde referente Paulo in isto defluxu continuo madent, cibi adest fastidium; respiratio læditur, imminet cachexia, pedúmque tumor sæpe hydropem accersit. *Signa.* Lib. 3. c. 48.

Verè dictum est ab Hippocrate: *Si menstrua plura fiant, eueniunt morbi, & si non fiant vel sistantur, ex vtero morbi eueniunt.* Vbi Galen. notat morbos in vtero ipso tantùm fieri in suppressis, nam menstruis immoderatè & plena manu fluentibus, ferè alibi quàm ipso in vtero morbi fiunt: vnde ait, ῥῷ γυναικείῳ adiungi σπασμὸν vel λειποθυμίαν. Licuit tamen mihi per experientiam, etiam in immoderato fluxu tam benè quàm in suppressis, grauissimos morbos ipso in vtero contractos, suc- *Prognosis.* Aph. 58. 5.

cedanea carcinomata,& putrida vlcera cum ingenti fœtore puris notare, eáque prorſus inſanabilia.

Curatio.

De curatione muliebris defluxus, non eſt ediſſerendū multis,cùm felici methodo eius indicatio propoſita ſit à Galeno, in curatione vxoris Boëthi nobiliſſimi Romani.In primis medica mēto cōueniēti purgata eſt omnis humorū impuritas:per vrinas deinde humorum ad vterum defluentium facta reuulſio : & reliquiæ humorum tandem per cutem expulſæ ſunt. Ita intra quindecim dies curata fuit Boëthi vxor. Sed audi Galenum de hac cura geſtientem.*Cum itaque menſe tranſacto, & bene colorata mulier adeo foret, vt ad naturalem habitum nihil prorsùs deſiderari poſſet, nec ampliùs fluxus indicium aliquod ſupereſſet,* τετρακοσίους μὲν ἔπεμψέ μοι χρυσοῦς *quadringentos aureos ad me Boëthus miſit,& nobiliū Medicorum inuidiam auxit, nam me apud eos laudibus extollebat.* Tunc certè Galenus dabat opes,quia dabātur:nunc Galenus non eſt,quia Boëthus extinctus eſt,οἷοι νῦν βροτοί εἰσι! Vt nunc ſunt homines!

Lib. de præcog. ad poſthumum.

PERORATIO.

Sed iam iam------diuerſa per æquora vectos
Fortè ſua Lybicis tempeſtas appulit oris.

CHriſte Deus, Chriſte admirabilis, quanta audiuimus & cognouimus ea, & patres noſtri narrauerunt nobis: non ſunt occulta à filijs eorum in generatione altera, narrantes laudes domini, & mirabilia eius quæ fecit.

Virgo mater, παρθένος ἀδμής, quæ Dominum Deum tuum intacta & inuiolata peperiſti, quæ nobis ſalutem reperiſti.

Sis fœlix, noſtrúmque leues quæcumque laborem.
Multa tibi ante aras noſtra cadet hoſtia dextra.

LAVS TIBI CHRISTE
Medice cœleſtis.



GVILLELMI ADER Medici.

ORATIO.

HABITA TOLOSAE ANNO 1617. *antequam præfatas Enarrationes publicè diceret.*

Chriſtum Dominum morborum omnium verum eſſe Medicum. Aduersùs eos, qui remedijs ab arte petitis inſcienter, aut Dæmonum fraude inuentis, morbos omnes curare pollicentur.



VANTA humano generi inuſta fuerit iniuria, quanta à Protoplaſti lapſu clades in poſteros, illis omnibus notum, quibus & apertum eſt, non omnes eſſe in vno miſerias, ſed multas in multis, & omnes in omnibus reperiri. Naturæ miraculum, θολυπειρτάτης τ

φύσεως ἄγαλμα, θαῦμα θαυμάτων, superiorum ac inferiorum corporum nexus ac vinculum, animal prouidum, Dei similitudo ac charagma homo.

Delitias tenuit quas Paradisus habet.

Ἄνθρωπος ἀναθρῶν ἃ ὄπωπε, *placidissimè contemplans quæ vidit, nulláque mortis tunc lege reuinctus. Ab errore delusus, & in perpetuas peccati latebras deuolutus, obrutus densa caligine, ignarus modo errat mente, morbis obteritur, doloribus & anxietate confossus vitam miserè ducit & sustentat. Nascitur illi quotidie malorum ilias, in perpetuo cruciatu senescit* ὅλος ἄνθρωπος ἐκ γενετῆς νόσος ἐστιν, *totus à natiuitate morbus est: nunquam indormiscit Aquila illa Promethei sed sontem vbique persequitur, & occultis ictibus interpellat. Tandem homo miserculus malo victus fatiscit, ad remedia nictat, allucinatur, errat. Audite (si placet) Viri Percelebres, Auditores Christiani & humanissimi quàm cæca & temeraria in morbis curandis fuerit eorum Medicina, quibus veri Dei cognitio primis temporibus sub Idolorum mancipio denegatur:*

Et quanta eorum proteruitas, qui in luce Christi Domini, Sole meridiano clariore, cæcutiunt, dum à Dæmone morborum subsidia quærunt: Vt inde nobis vera credendentibus, & veritati fidentibus, vera morborum medela affulgeat, sitque omnibus promptum & obuiam, absolutißimam medicinam à summo naturæ humanæ restauratore, vero nempe Medico Christo esse petendam.

En ergo Auditores grauißimi terra dum se afflicto homini ad medendum exhibet, remediorum ille incognita sylua obruitur. Cognitio quæ habetur ex intuitu fortuita est, nullo humano consilio, casu, sortéque contingens. Ictus à serpente ab herbula præsente remedium petit: decidit cui occipitium dolitabat, casu vena frontis rupta dolorem sedat. Alijs & casus, & natura, præsto sunt. Febrienti sanguis plena manu certa die erupit, inde sanatio. Leproso sitienti viperina aqua propinatur, casu desperato morbo mirè ille defungitur. Sícque casus, & natura, & necessitas, primam erigunt Medicinam, quam ab obseruatione Empiricam dicunt. Hanc autem cæcutientes Idolis impertiunt: Et medicinam

vel

vel Deorum filÿs, vel eorum propinquis, quibus dÿ primum communicarint, inuentam esse, vt fama percrebruit, sibi falsò suadent. Inde Dianam Arthemida dictam audimus ἀπὸ τοῦ ἀρτεμέας ποιεῖν, *quod sanos homines efficiat: Apollinem autem* ἀπολύοντα *liberantem nos à morbis*, ἀπελαύνοντα *morbos abigentem.*

Extant & historiæ percelebres ex tabulis, sacrisue donariÿs Aesculapÿ templo dicatis: Et præ ceteris ex tabula marmorea Romæ, in Insula Tiberina inuēta & adhuc apud Maphæos conseruata, vbi hæc insculpta sunt. Lucio lateris dolore affecto & desperato à cunctis hominibus oraculum reddidit Deus, veniret & ex ara tolleret sanguinem, faceret cum vino emplastrum, quo conualuit & publicè gratias egit, & populus congratulatus est ei. *Sic de Iuliano hæmoptoïco & sanguinem eructanti, cui nuclei pini cum melle ab Oraculo præscripti sunt. Sic de Valerio. Apro milite cæco, cui sanguis Gallinacei albi, Oraculo dictante, præsidio fuit.*

Crassos hos tamen errores & omni iudiciÿ lumine destitutos, solo naturæ instinctu,

cuius erat verè genius Hippocrates, placido mordet & subsannat cachinno, dum ait. Postquam autem resipuit homo mulieres tum alia multa, tum pretiosissimas vestes Dianæ consecrant, à vatibus id iubentibus deceptæ.

Estote ergo cum Hippocrate, viri clarissimi ex æquo & bono honorarij arbitri atque iudices, An non istos miserandæ sortis homines quibus Christiana fides non illuxit, æquius feretis, quam iniquissimæ conditionis nefarios Paracelsistas, qui ab splendida & flagranti fidei Christianæ lampade auersi, in tenebris cum hoste naturæ cæcutiunt: Medicæque artis professorem Dæmonem & præceptorem nanciscuntur suum.

Audite putidissimum doctorem impudentissimo suo in libro, de origine morborum inuisibilium. Discendæ sunt nobis omnes artes (*ait blatterator*) omnia tentanda, minor discat à maiore, Diabolus est nobis doctior: si illius artem callemus Deum non offendimus. Nemini curæ sit vnde nobis bona adueniant, siue à bonis siue à malis spiritibus procedant. *Et cætera quæ narrare*

piaculum esset. Potuit ne dici aut excogitari quicquam insulsius, aut monstrosius. Tale facinus nonne ferro & flammis expiandum? Curat, praestigiator, extra omnem naturae aleam, extra hominis genium & ingenium, paralyticos, leprosos, imo & omnes etiam fatales ad interitum morbos si dijs placet extinguit, ita animosè, impostor, in quibus Hippocratea familia despondet & dicit olethryon omni ex parte desperatum, iurat audacter impostor sanabile & sotyrion.

------O cui debere salutem
Confiteor coniux.

Dicebat Iason ad Medeam. O homo tu quis es qui respondeas Deo, ait. *D Paulus Gigantes pro honore certarunt cum Ioue,*

Tantus amor laudis, tanta est victoria cura Gigantomachiam planè hic exercet medicam & Hippocrati summo artis Dictatori nefariè reluctatur sed vt Gigantes.

Ter sunt, conati imponere Pelion ossa
Ter pater extructos disiecit fulmine montes.

Insanit certè homo hic, irruit in se ipse, & segetem incidit sua fama, dum obsessos

à Dæmone restituere, Leprosos mundare si non exuere pelle, si dijs placet pollicetur. Paracelse celsè nimis, caue ne omen in nomine sit ominosum.

Non laborant Energumeni & Dæmoniaci comitiali morbo, & Ecstatici lipothimia, furore, aut stupore, quos tu possis persanare Magisterio elementorum, Arcano specifico, Clysso, Elixire, fucatis certè re ipsa, vt & nomine, dæmoniacis remedijs. Ecstaticos in Græcia frequentes viderat Aristoteles, & Ecstasim appellat comitialem morbum, ἱερὰν νόσον καὶ θεῖόν τι. Sed iure Galenus ἀπὸ τῆς ἱερᾶς ἐκστάσεως diuisit sonticum morbum, quem ipse ὀλιγοχρόνιον μανίαν breuem insaniam appellitat: quique diligentiùs rerum naturæ operam nauant ἔκστασιν omnino ab epilepsia secludunt. In eo tamen decepti cùm ecstaticos omnes dæmoniacos existimant quos appellarunt ἐνδαιμῶντας, ἐνθουσιαστικοὺς, καὶ θεομανεῖς quales fuere Pythiacæ sacerdotes, quæ à malis dæmonibus obsidebantur: quæ quod buca conclusa ab orificio pudoris responsa redderent ἐγγαστρίμυθοι, & ἐγγαστριμάντεις ventriloqui, ventriuates, atque etiam στερνομάντεις, quod in ipso pectore loquerentur, appellatæ fuerunt.

Abreptus ita non semel Harmotimus Clazomenius. Ita & Fuccius Cardanus qui referente Hyeronimo eius filio δαίμονα πάρεδρον dæmonem habuit sibi assidentem, cum quo dum vellet in ecstasim raperetur grauissimam. Hi quidem sæpiuscule, vt Epileptici conuelluntur, iactantur membris; spumant ore, dentibus strident & arescunt. Aliàs Ecstatici immoti manēt, laniatus, verbera, membrorum distractiones minimè sentientes: sed restituti & redeūtes dolores inflictorum vulnerū grauissimos persentiscunt, præteritorum recordantur & eorum, dictu mirum, quæ non viderant.

Alia tamen vera & verè cœlestis ecstasis est minimè morbosa aut contra naturam, sed prorsùs diuina, in ijs qui studio discendi sunt apud se, quique sanctarum cogitationum epulis taciti recreantur & saturantur: quemadmodum de Vlysse narrat Homerus. Imò quam habemus Danielis, Zachariæ, Ezechielis, ac Pauli ipsius, de se ipsis testatam. Hæc est vera animi meditatio & Philosophia, mortis contemplatio, anagoge diuina, osculum mortis: Pretiosa in cōspectu Dei mors sanctorum eius.

Non ergo Ecstatici hi Dæmoniaci sunt,

aut aliquo morbi genere correpti, qui manu Medica ſubleuari aut debeant, aut poſſint. Nec ita ſeparata in ecſtaſi agitur exul anima, quin αὐτόματος *ſpontéque ad diuerſorium & corporis ergaſtulum redire potis ſit. Solus autem reſtituit obſeſſos perſanátque, qui ſolus ſanat langores Deus. Oblatus eſt Chriſto Redemptori Dæmonium habens cæcus & mutus, & curauit eum, ita vt loqueretur & videret. Obtulerunt ei multos Dæmonia habentes, & eijciebat ſpiritus verbo. Ita ne poſſes Paracelſe tu, vel arte dæmonum Trophonica Dæmones impellere, expellere & fugare. Diſce inſane ſi vis, ſi vis inquã vt alter* ἰσόθεος *tanta patrare, diſce hoc non à magiſterio quodam Ergalico, non ab arte à Dæmone docta, ſed à ieiunio & oratione cum vita ſanctimonia, & puritate, vt in nomine Chriſti ſaluatoris Dæmones eijcias, infirmos deſperatos ſpe redintegres, leproſos mundes, mortuos ſuſcites.* In nomine meo, *ait Chriſtus D. diſcipulis,* Dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis ſerpentes tollent. Et ſi mortiferum quid biberint non eis nocebit: ſuper ægros manus imponent & bene habebunt.

Ne deinceps ergo cinifio Paracelse mentem mentiri facias, animum membris socia, iunge cor ori, hos mores mori coge tuos, his artibus finem pone, nec amplius nobis impone. Valeant tua mendacissimæ scolæ auditores & alumni, mendicent æternùm ergalici, tui enchiryfi, chymistæ, agirtæ, ambubaiarum collegia, balatrones, paternáque bona abligurientes, qui plebeculam miserè ludificant & mulierculaum loculos exhauriunt. O Dæmonum infida proles. Non est Belzebuth, non Lucifer ambitiosus cælorum desertor, sed altissimus, de terra qui creauit medicinam. Non fertilis Aegyptus, quæ rerum medicamina mixta, optima multa profert, sed altissimus de terra qui creauit Medicinam. Non ô Aesculapi tu potens artis traducere vitas nosti, sed altissimus qui de terra creauit Medicinam. Ille ille is est qui edicto sanciuit, honorandum medicum quem pro necessitate se creasse testatur. Medicum inquam qualem prædicat Asclepiadæ familiæ princeps Hippocrates, virum nempe Philosophum, sagacem & prudentem, operum naturæ imitatorem, naturæ nostræ instructorē non destructorem, cum ratione & experientia medētē morbis, sine fraude, sine dolo & impostura.

Nec omnes mehercule medicina curat, Huius enim est, *ait Hippocrates*, non morbos omnes ab ægris in totum tollere, sed eorum vehementes impetus obtundere, & ijs qui à morbis victi sunt manum non admouere, cùm in confesso sit hos medicinam sanare non posse. *Si Clysso aut Elixire quis posset renouare artus, aut calorem natiuum vitæ thesaurum æternum sustinere, humidum radicale vbique producere, quid à cælis expeteret aut expectaret homo? Quis Deo optimo maximo laudes diceret? quæ possent esse eius flagella? Aut quis ea pertimesceret? Morbos certè omnes vt explodat, impotens homo est, quomodo ergo morti ipsi mortem, diémque dicet? Quomodo* (ait Auicenna) *curabitur lepra cum sit cancer vniuersalis, si cancer particularis curari nequit. En cælestem medicum qui citò tutò & iucundè cancros vniuersos & vniuersum curat. Ecce Leprosus veniens adorabat Iesum, dicens, Domine si vis, potes me mundare: & extendens manum Iesus tetigit eum dicens,* volo, mundare, *& confestim mundata est lepra eius. Quis medicorũ nescit de Paralysi conclamatum ma-*

ximè si Apoplexia sit consectaria, aut sit chronica. Accessit Centurio ad Dominum rogans eum. Domine puer meus iacet in domo paralyticus malè torquetur. Ego veniam & curabo eum, *ait illi Iesus. Alij item in lecto iacenti, ait Christus.* Tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. *Alij itidem in probatica piscina.* Surge, tolle grauatum tuũ & ambula.

Exempla, Auditores Christianissimi, infinita suppeterent, sed illa plusquam diem peterent, cum nec dies, nec annus, nec æuum, ad ea quæ Deus potest, quæ Christus fecit suprà naturam & artem Medicam, sufficerent. Vera interim Medicina patet, Rationalis illa in natura humanæ subsidium mortalibus à Deo concessa: spuria illa Paracelsi à Dæmone innotescit in hominum pernitiem. Sed certior illa securiorque vere celestis quæ à Christo est, quam propria manu contulit in infinitos, de quibus copiosa est noui Testamẽti mirabilis historia.

Accedat iam vt sæpè solet non vocatus, sed introductus ad ægrum impostor Paracelsista, deploratum etiam in qualibet sorte se curaturum, elato iactat supercilio: cuius tamẽ ars malefica, dæmonica & ini-

mica naturæ nostræ, vel sperabiles morbos rarò vincat, aut non sine noxa. Mendacissima ædepol ars, incerta & infida; quæque non possit, quidquid promittat, occasionis momenta vt artes cæteras, effugere. Si quid leue curat, gestit vanus pollicitator, blandiuntur ignari: si enecat, grande malum excusat, nullus accusat.

Accedit rationalis Medicus vocatus in lethali morbo, aut in extremis: Deploratos ait, non oportet aggredi curare sed relinquere & morbi finem certissimum pronuntiare. Deploratos vocat à natura destitutos, aut victos à morbo per se incurabili. Nec infamanda præsidia censet quæ multis fuere saluti. Accedit demum Christus Dominus precibus & corde inuocatus, cælestis accersitur medicus, res est in tuto, in portu nauigatio, túncque dicendam. Deploratos oportet aggredi curare, non relinquere, & morbi finem tutissimum pranuntiare. Quoties enim Dei manus deploratum tetigerit, exploratissimam fidem, tutam, certam, & sine recidiua habemus salutem.

LAVS TIBI CHRISTE
Medice cœlestis.

INDEX EORVM quæ toto opere continentur.

A.



FINIS.





